C 1

ACCADEMIA VENETA

I. c. 19.

VENETO
VENEZIA





PATRIS INSOMNIVM



GALENI DOCTORES



HEPATICI AFFECTIONIS

GALENI
OPERVM
Quorundam, quæ aliquo modo mutilata ad nos peruenere
FRAGMENTA.

Ad varias medicinæ partes attinentia, quæ proximè tantum ante hanc editionem euulgauerant.

Nunc accuratissimè expurgata.

QVORVM INDICEM SEQVENS PAGINA OSTENDIT.

Quinta Editio.



VENETIIS, APVD IVNTAS. MDCXXV.



CRISIS PRAECOGNITIO



AMANTIS DIGNOTIO



PALESTRITÆ CVRATIO



DISCEPTATIO CVM ALEXANDRO HABITA

FRAGMENTA,

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

GALENI Commentaria quatuor in librum Hippocratis de Alimento Gręcè,& Latinè,Ioanne Baptiſta Raſario,Medico Nouarienſi,Ticini Græcas,Latinasque literas ſumma gloria profitente,interprete. Verum in hac editione gręcum contextum, tanquam non amplius neceſſarium,abſtulimus,& indicis numeros accommodatos, in Braſauoli magnum indicem incluſimus. fol. 3.

Fragmentum Galeni Comm. in ij. lib. Epidem. Hippocratis, Hieronymo Mercuriali Medico præſtantiſsimo, Patauij primum in Medicina locum meritò obtinente, interprete. 41

Breuis denotatio dogmatum Hippocratis ex ſermone xcix. Ioannis Stobæi. 42

Fragmentum ex quatuor commentarijs, quos ipſe inſcripſit, De ijs, quæ medicè dicta ſunt in Platonis Timæo, ab Auguſtino Gadaldino tranſlatum, Græcè in impreſſis codicibus deſideratur. 43

De Motu Thoracis, & pulmonis fragmentum fortaſſe eorum trium librorum, quos Gal. de hac re compoſuit: quod ex antiqua tantum tranſlatione legitur: nam Græcè non habetur. 47

De Vocalium Inſtrumentorum Diſſectione, Auguſtino Gadaldino Medico Mutinenſi interprete. 48

De Subſtantia facultatum naturalium fragmentum, Bartholomæo Syluanio Salonienſi interprete. 50

Fragmentum quoddam exiguum,ac mendoſum,quod Galeno aſcribitur, cuius titulus eſt, ſermo aduerſus Empiricos medicos, Auguſtino Gadaldino interprete. 51

Fragmenta Galeni ex aphoriſmis Rabi Moyſis collecta. 53

Fragmenta Galeni ex Raſis lib. contin. collecta. 59

Ex Athenæo primo Dipnoſoph. cœna Philoſophica, hoc eſt Cœna ſobria. 61

Ex libro Nemeſij de Anima, cap. 2. 62

De morſu, qui in ægritudine percipitur. ex incerto. 62

Ex Themiſtio in Paraphraſi quarti de naturali Auſcult. ch. 43. in Aldino. 62

Ex Simplicio in quartum de Naturali Auſcult. Ariſtotelis Com. 41. 63

Ex Auerroe lib. Priorum Ariſt. 1. cap. 8. 64

IOANNI BAPTISTÆ RAINOLDO
SENATVS MEDIOLANENSIS PRÆSIDI, VIRO AMPLISSIMO

IOAN. BAPTISTA RASARIVS S. P. D.

EX ijs calamitatibus, quas mortalibus barbari homines importarunt, maxima semper mihi visa est, qua rem literariam affectam esse animaduerti. cum enim hac facultate vita, & mores, antiquitatis memoria, leges, res sacræ, & quæcunque laude digna sunt, contineantur: profectò quicquid mali huic vni affertur, eodem cętera omnia attingi, atque affligi necesse est. hinc factum videmus, vt innumeri veterum scriptorum libri, vel ad nos non peruenerint, vel ita deprauati, imperfectiq; perlati sint, vt exiguam inde vtilitatem percipere valeamus. ita magnum damnum philosophia, ita iuris prudentia, ita multæ artes nobiles, ita Græcæ, Latinæque literæ fecerunt. præter cæteras verò disciplinas hoc ipsum in medicinæ partibus vsu venisse, omnes iure, & meritò conqueruntur. Etenim, vt æquo animo feramus, quæ ab Erasistrato, Archigene, Antyllo, Agathino, Apollonio, alijsque plerisque claris, spectatisque medicis literarum fuerant memoriæ consignata, aut planè interijsse, aut pauca admodum, quæ à Galeno, aut Oribasio, aut ab ijs, qui hos duos auctores sequuntur, commemorata sunt, supersse: tam multa copiosè, eleganter, eruditeque à Galeno conscripta desiderantur, vt rebus ad artem, quam salutis humanæ præsidem veteres nuncupant, pertinentibus, maxima inflicta esse plaga videatur. quantum enim detrimenti acceptum est, amissis commentarijs, quos Galenus in librum Hippocratis de vulneribus capitis: quos in librum De vlceribus: quos in secundum de morbis vulgaribus: quos in librum de aere, aquis, & locis ediderat? videtur tamen fœlici quodam fato esse factum, vt, qui in librum De humoribus, quique in librum De alimento scripti fuerant, inuenti sint: quorum tres in librum De humoribus de Theodorico Florentio Belga, empti, mea opera in vulgus emanarunt: quatuor verò, qui sunt in librum De alimento, etiam in manus meas anno superiore peruenerunt. Erat hoc in gymnasio, ad quod ex omnibus Europæ partibus adolescentes propter vrbis commoditatem, & doctorum in omni genere scientiarum præstantiam, studiorum suorum causa frequentes conueniunt, nobilis adolescens Sigismundus Cracouiensis. is, quòd & Græcæ, & Latinæ linguæ erat studiosus, ad amicitiam meam se contulerat: cumque ego ita, vt fit, de ipso quærerem, ecquos libros manu scriptos secum attulisset, quòd scirem patrum nostrorum memoria nobilissimam omnis generis librorum bibliothecam à Matthia Coruino, Rege, fuisse constructam, is, vt erat ingenuus, illicò se habere nonnullos respondit: ac vetustissimos quosdam libros ostendit: præter ceteros, quatuordecim libros Methodi à Galeno conscriptos, & alterum volumen tanta vetustate, tantoque situ obsitum, vix vt Galeni opuscula, quæ inerant, possem dignoscere. nam & principium, & finis aberant: & paginæ multis in locis erant dissolutæ, atque diuulsæ, & literulæ iam intercciderant, vt penè oculorum effugerent obtutum. verum, accuratius rem expendens, cum inscriptionem miniatulam, sed tamen decoloratam, vidissem, Γαληνοῦ εἰς τὸ Γ. animaduerti esse reliquias quatuor

commentariorum, quos Galenus in librum De alimento conſcripſerat. tum ego adoleſcentem vehementer rogaui, vt, quoniam ipſe in alijs rebus cognoſcendis, atque tractandis ſtudium ſuum omne poneret, mihi illos libros, qua vellet conditione, tribueret, de libris Methodi ſtatim conuenit inter nos: de altero volumine, vix vt commentarios illos omni ex parte inchoatos, lacerosque deſcriberem, impetraui. quod cum Hieronymo Mercuriali, Medico, philoſophoque excellentiſsimo, & Galeni libros explicandi, cognoſcendiq; propter ſummam, & ſcientiarum, & linguarum cognitionem peritiſsimo, ſignificaſſem: acturum me pro amicitia hortatus eſt ad librum in Latinum ſermonem conuertendum, inque apertum proferendum: ne, quod adhuc docti homines, Galenique ſtudioſi, deſideraſſent, eis tamquam æs alienum, diutius deberetur. id quod ego multis de cauſis mihi vidi eſſe faciendum: præſertim verò, vt hac arrepta occaſione, tibi ſummam obſeruantiam meam indicarem, ſi dediſſem operam, vt liber nunc primum Græcè, & Latinè in lucem editus, in tuo ornatiſsimo nomine appareret. quamquam autem te appellare non debebam, in maioribus Mediolanenſis Prouinciæ muneribus impeditum, & grauioribus alijs ſtudijs occupatum, & ampliſsimi, ſanctiſsimique ordinis principem, cui otioſo eſſe numquam liceat: humanitatis tamen tuæ mihi iam diu perſpectæ, magnitudo, & tua perpetua quædam in me, & in meos beneuolentia, faciunt, vt hunc animum in te meum, & hoc medicæ artis cupidos iuuandi ſtudium gratum tibi iucundumque futurum non deſperem. ego tamen hoc loco non committam, quod in multorum eſt more poſitum, vt de generis tui claritate, de ſingularibus virtutibus, de rerum maximarum vſu, & cognitione, de præclariſsimis rebus à te geſtis, deque ſumma auctoritate tua nunc diſſeram: ac dicam, quam carus ſis Philippo, Regi maximo, & potentiſsimo: addamq; vt omnium animos beneficijs, benignitate, ac vitæ innocentia ad te amandum, colendumque allicias: ac quo ſtudio foueas eos, quos aliquo genere virtutis, ſcientiarum notitia, liberalibusque diſciplinis excultos cognoſcas: quantum denique florentiſsimum hoc Ticinenſe gymnaſium tibi merito tuo debeat. hæc enim, præterquam quod teſtata ſunt, & induſtria, ſuperant etiam epiſtolæ modum: & tanta ſunt, vt excellens ingenium, magnam copiam, eximiumque ornatum poſtulare videantur: præterea admonuit me, cum fortè cum ipſo id conferrem, Galeacius Brugora, vir clariſsimus, & Senator ſapientiſsimus, quem ego propter ſummam integritatem, ſingularem rerum cognitionem, mirificamque prudentiam mirum in modum obſeruo, te hiſce laudibus non admodum delectari: illudque Socraticum tibi magis placere, vt malis eſſe, quàm videri: atque in hanc curam te perpetuò incumbere. id quod etiam mihi confirmauit adoleſcens omnibus rebus ornatiſsimus Alphonſus Rainoldus, fratris tui filius. quæ res etiam ab huiuſmodi ſcriptione me cum beneficijs tuis, tum ſtudio hoc ad agendum, incitatum meo, retraxit, atque continuit. itaque hic dicendi finem faciam: ac te ſummopere rogabo, ſi te interpellaui, mihi ignoſcas: meque in tuo ære eſſe, tibi pene perſuadeas. Vale, Ticini. VI. Kal. Iunias. M D LXXV.

HIPPOCRATIS COI LIBER DE ALIMENTO.

Hunc librum Galenus Hippocratis esse negat. Sed tamen non alicuius plebeij, ac vulgaris hominis esse dicit, & fortassis ipsius Thessali. Quidam Herophilum authorem putant.



LIMENTVM, & alimenti species, vnum & multæ: vnum quidem, quatenus vnũ genus est. Species verò humiditate, ac siccitate finitur, & in his forma, ac quantitas est, & ad quædam, & ad tot. Auget autem, & corroborat, & incarnat, & assimilat, & dissimilia facit, quæ in singulis sunt, iuxta vniuscuiusque naturam, ac facultatem, quæ ab initio adest. Assimilat autem pro viribus, quũ id quod superingeritur superatur, id verò quod prius inest superat. Exile autem fit aliquando quidem prius, in tempore dissolutum, aut insuper appositum, aliquando verò posterius, in tempore dissolutum, aut appositum. Destruit autem vtrunque in tempore, & post tempus, id quod extrinsecus assiduo superingestum est, & per multum tempus omnibus membris solidè implicatum est, & propriam quidem formam producit, priorem verò, aliquando autem, & priores, destruit. Facultas porrò alimenti peruenit, & ad ossa, & ad omnes partes, & in venam, & in arteriam, & in musculum, & in pelliculam, & carnem, & pinguedinem, & sanguinem, & pituitam, & medullam, & cerebrum, & medullam spinalem, & interanea, omnesq; ipsorum partes, & sanè etiam in caliditatem, & spiritum, & humiditatem. Alimenti verò, & id quod hoc nutrit, alimentum est, & quod velut nutrimentum est, & quod nutrimentum futurum est: Principium autem omnium vnum est, & finis omnium vnus, & idem finis est, atque principium: & quæ particulatim in alimento probè, & malè disponuntur. Ciborum vis.

Probè quidem, quæ prædicta sunt. Malè verò, quæ contrarium his ordinem habent. Succi varij, & coloribus, & viribus, & in detrimentum, & in vtilitatem, & neque lædentes, neque commoderantes, & multitudine, & excessu, & defectu, & implicatione, aliquorum quidem, aliquorum verò non. Succorum vis.

Et omnium caliditatem lædunt, ac iuuant, & frigiditatem lædunt, ac iuuant, & facultatem lædunt, ac iuuant. Facultatis autem variæ naturæ sunt. Succi corrumpentes, & totum, & partem, forinsecus, ac intrinsecus, spontanei, & non spontanei, Nobis quidem spontanei, causæ verò non spontanei.

Rursus autem causæ aliæ manifestæ, aliæ obscuræ, & aliæ potentes, aliæ minus potentes. Natura omnibus subuenit. Ad hanc verò forinsecus quidem cataplasma, Illitio, Vnguẽtum, Nuditas, et totius, et partis. Caliditas, & frigiditas, iuxta eandẽ rationem, & adstrictio, & vlceratio, et morsus, corrosio. Intrinsecus, verò, et quædam ex prædictis, et supra hæc causa obscura, et parti, et toti, et alicui, et non alicui, excretiones vẽtris secundum naturam, item vrina, sudoris, saliuæ, muci, vteri, iuxta hæmorrhoidas, verrucam, lepram, tuberculum, carcinoma, ex naribus, ex pulmone, ex ventre, ex sede, ex cole, secundũ naturam et præter naturam, discrimina horum alijs iuxta aliam rationẽ, aliquando etiam aliter. Vna natura sunt hæc omnia, et non vna. Multæ naturæ sunt hæc omnia, et non vna. Medicina sursum, deorsum, et neque sursum, neque deorsum. In alimento medicina, optimum. In alimẽto medicina malum, et optimum ad aliquid. Vlcus, crusta, sanguis, pus, sanies, lepra, furfur, vlcera capitis manantia, impetigo, vitiligo, lentigo, aliquando lædit, aliquando prodest, aliquando neque prodest. Alimentũ, non alimentum. Si nutrire non potest, nomen est alimentum, non opus. Opus, et res est alimentum, non nomen. In pilos alimentum, et in vngues, et in extremam superficiem intrinsecus peruenit. Forinsecus alimentũ, et extrema superficie ad intima peruenit. Confluxio vna, conspiratio vna. Consentientia omnia. Iuxta totius quidem corporis naturam omnia, iuxta partem verò, partes in vnaquaq; parte ad opus. Principiũ magnum ad extremam partem peruenit. Ex extrema parte ad magnũ principium peruenit, Vna natura, esse, et non esse. Morborum differentiæ, in alimento, in spiritu, in colore, in sanguine, in pituita, in bile, in humoribus, in carne, in pinguedine, in vena, in arteria, in neruo, musculo, pellicula, osse, cerebro, medulla spinali, ore, lingua, stomacho, siue gula, ventre, intestinis, septo transuerso, peritonæo membrana aluum, ac intestina amplectente, hepate, splene, renibus, vesica, vtero, cute. Hæc omnia, et singulatim, et particulatim. Magnitudo ipsorum magna, et nõ magna. Signa, titillatio, dolor, ruptura, mens. sudor, vrinarum subsidẽtia, quies, iactatio, visus, imaginationes, morbus arquatus, singultus, morbus comitialis, sanguis integer, somnus, et ex his, et ex alijs naturalibus, et quæcunq; alia huiusmodi ad detrimentũ, et vtilitatẽ procedunt. Labores totius, et partis. Et magnitudinis signa, alterius ad maius, alterius ad minus, et ab vtrisq; ad maius, et ab vtrisq; ad minus. Dulce non dulce, dulce ad potentiã, velut aqua. Dulce ad gustũ, velut mel. Signa vtrorunque, vlcera, oculi: et gustus, et in his magis, et minus. Dulce ad visum, et in coloribus, et in alijs mixturis. Dulce magis, et minus. Raritas corporis ad perspirationem, quibus amplius aufertur saniores sunt. Dẽsitas corporis ad perspirationẽ, quibus minus aufertur, morbidiores. Qui probè Causæ variæ. Causa nõ semper patet. Medicina varia. Alimentum. Mira & breuis discursio membrorum. Signa languentis. Signa obseruãda. Varietas considerada.

Pulmo.

perſpirant, debiliores, & ſaniores ſunt, & à morbis facilè recõualeſcunt. Qui male perſpirant priuſquã ægrotent, fortiores ſunt. Vbi autem ægrotarunt, difficilius à morbis reconualeſcunt. Hæc autem, & toti, & parti. Pulmo contrariũ corpori alimentum trahit, reliqua verò omnia idem. Principium alimẽti ſpiritus, nares, os, guttur, pulmo & reliqua reſpiratio. Principiũ alimenti, & humidi, & ſicci, os, gula, venter. Verum antiquius, & primordiale alimentum, per abdomen vmbilicus. Radicatio venarum hepar.

Alimenti principium.

Venarum ſedes & arteriarum.

Radicatio arteriarum cor ex his aberrant in omnia ſanguis, & ſpiritus, & color per hæc meat. Vis vna, & non vna, qua omnia hæc, & alia gubernãtur, alia quidem ad vitam totius, & partis, alia ad ſenſum totius, & partis. Lac nutrimentum, quibus videlicet ſecundum naturam alimentum eſt, alijs verò non.

Lac.

Vinum.

Alijs autem vinum alimentũ eſt, & quibuſdam non alimentum. Et carnes, & aliæ multæ alimenti ſpecies, et iuxta regionem, et iuxta conſuetudinem alunt, partim ad augmentum, et ad eſſe, partim ad eſſe ſolum, velut in ſenibus. Quædam verò ſupra hæc etiam ad robur. Diſpoſitio Athletica non eſt à natura. Habitus ſanus melior in omnibus. Magna eſt res quantitas ad vires ſolerti ratiocinatione adoptata. Lac et ſanguis alimenti ſunt redundantia. Circuitus ad multa conſoni ſunt, ad fœtum eius q̃ alimentũ. Rurſus autem ſurſum repit in lac, et in alimentum, et ad infantem. Viuificantur non animalia, viuificantur animalia. Viuificantur partes animalium. Naturæ omnium nullo doctore vtuntur. Sanguis alienus nociuus. Sanguis proprius nociuus. Humores proprij nociui. Humores alieni nociui. Humores alieni conducibiles. Humores proprij conducibiles. Conſonans diſſonans eſt. Diſſonans conſonans eſt. Lac alienum bonum. Lac proprium nociuum. Lac alienum nociuum. Lac propriũ commodum. Cibus iuuenibus facilè ac leuiter putrefactus. Senibus verò ad ſummũ tranſmutatus. His qui in vigore ætatis conſiſtunt impermutabilis. Ad figurationem, ſoles triginta quinque. Ad Motum, ſeptuaginta. Ad perfectionẽ, ducenti et decem. Alij tradunt. Ad formam, quadraginta quinque, ad motum, ſeptuaginta ſex, ad exitum, ducenti, et decem. Alij ſic. Ad formam quinquaginta, ad primum ſaltum, centum, ad perfectionem, trecenti. Alij ſic. Ad diſcriminationem, quadraginta, ad tranſitum, octoginta, ad elapſum, ducenti quadraginta. Non eſt, et eſt. Gignuntur autem in his, et plures, et pauciores, ſecundum totum, et ſecundum partes. Non multo autem plures, aut pauciores: pauciores verò tot, et quæcunque alia his ſimilia.

Sanguis variat.

Lac variat.

Digeſtio per ætates.

Partus conformatio.

Quota oſſium coaleſcentia.

Oſſium alimentum ex confractione. Naſo bis quinque. Maxilla, et clauiculæ, et coſtis duplicia, cubito triplicia. Tibia et brachio quadruplicia, femori quintuplicia. Et ſi quod in his plus, aut minus poteſt.

Sanguinis alia variatio.

Sanguis humidus, et ſanguis ſolidus. Sanguis humidus bonus. Sanguis ſolidus malus.

Cibariorum variatio.

Ad aliquid omnia mala, et bona ſunt. Via ſurſum deorſum vna. Potentia alimenti melior, quàm moles. Moles alimenti melior, quàm potentia. Et in humidis, et ſiccis detrahit, et apponit idem, et alteri quidem aufert, alteri verò apponit idem.

Pulſus ſpiratio, ſigna ſanitatis, & morbi.

Venarum pulſationes, et reſpiratio ſpiritus, iuxta ætatem, et conſonantia, et diſſonantia ſunt, et ſanitatis ſigna, et morbi, et ſanitatis magis, quàm morbi, et morbi magis, quàm ſanitatis. Alimentum enim etiam ſpiritus eſt.

Humidum alimentum magis facilè tranſmutatur, quàm ſiccum. Siccũ alimentum facilius tranſmutatur, quàm humidum. Alimentum quòd ægrè conſumitur. Quòd facilè apponitur, facilè conſumitur. Et quicunque veloci appoſitione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum. Quicunque verò adhuc velociori indigent, per olfactum. Qui autem tardiore appoſitione opus habent, ſolido alimento vtantur. Muſculi ſolidiores ægrè magis, quàm alia colliqueſcunt, excepto oſſe, et neruo. Quæ exercitata ſunt, ægrè tranſmutantur, et ſecundum genus ipſa ſeipſis fortiora ſunt, quàm pro re ipſa: propterea ipſa ſeipſis ægrius, colliqueſcunt. Pus ex carne, purulentum ex ſanguine, et ex alia humiditate. Pus vlceris alimentum. Pus alimentum venæ, arteriæ. Medulla alimentum oſſis, propterea callo obducuntur. Facultas, et potentia omnis auget, et nutrit, et germinare facit. Humiditas alimenti vehiculum eſt.



GALENI
IN HIPPOCRATIS LIBRVM
DE ALIMENTO,
COMMENTARIVS PRIMVS.

Ioan. Baptiſta Raſario, Nouarienſi, Medico interprete.

Principium deſideratur.

✲ Etenim augeri, atque ali naturæ eſſe opera demonſtratum eſt. verum hæc effici non poſſunt, niſi in corpore fiat alicuius eorum, quæ prius in ipſo inerant, commutatio. omne enim corpus moueri neceſſe eſt, ſi acceſſionem, deceſſionemve capit. atque hi motus in quantitate fieri dicuntur: ſicut ſi corpus album fiat nigrum, aut nigrum fiat album, in qualitate, hoc eſt in colore moueri dicimus: ſimili quoque modo ſi ex calidiore frigidius, aut contra, reddatur: ſiq; ex
C ſicco humidum, aut ex humido ſiccum: alterari. Iam verò ſi locum mutet, moueri dicetur. Quod autem ipſe ait, ſcimus vſu venire, cum quid ex minore maius, aut ex maiore minus fiat, ita tamen, vt ſuam propriam formam ſeruet. Cæterum de ortu, & interitu, atque ortum eſſe productionem in eſſentiam, interitum verò eius contrarium, quid attinet dicere? præſertim cum iamdudum his de rebus multi Philoſophi rectè differuerint, & omnia genera motus explicauerint.

✲ ✲

✲ Quatuor enim qualitates eſſe vult, & ex ijs effici elementa cenſet: tum ex elementis eos humores, qui in animantibus, ſtirpibuſq; conſiſtunt. eidem etiam placet, in animalibus, & ſtirpibus caliditatem, ac frigiditatē eſſe magis efficacem: humiditatem, & ſiccitatē, minus: id quod etiā sēſiſſe videtur Hippocrates. Ac de hoc quidē inter omnes ferè & Philoſophos, & Medicos cōuenit, primas qualitates eſſe quatuor, caliditatē, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem: atq; ex ipſarum temperatione effici cum ſenſibilia elementa, tū partes omnes corporis, quæ conſtāt è particulis ſimilibus inter ſe, & item organicas, quæ ex particulis inter ſe diſſimilibus conflatæ dicuntur. Exorto autem animali, cū perfectam ſit nactum magnitudinē, naturales facultates in ipſo
D actionem ſuā obeunt. quo in numero verſatur non modò ea, quæ alendi, atq; alterandi vim habet: ſed etiam ea, cuius opus in augēdo eſt: cuius quidem facultatis eſt propriū, in omnes partes animal extendere: cum interim in omnes partes extēdi, ijs ſolis ſit, quæ à natura augentur, attributū. quod tamen ſine alimento affluenti, atq; adhęrenti non poteſt contingere: ſiquidē incrementū ſine humida ſubſtantia effici nullo modo poteſt. quo circa in ijs, qui creſcunt, adhibenda cautio eſt, ne multū admodū, neve violenter exerceantur: ne fortè ipſorum incremētum cohibeamus: cū hoc ſcitum ſit, omne animal ſemper à primo ortu ſui quotidie fieri ſiccius. Ne verò te fallat alteratio, q̄ ipſam idē eſſe, quod incrementū exiſtimes: quando incrementū in quantitate, alteratio in qualitate efficitur. Proinde aliud planè eſt incrementū ſubſtantiæ, aliud alteratio. Incrementū autē progreditur vſq; dum oſſa confirmata ſint. Confirmantur autem in paruo corpore, vel propter materiæ defectionē, vel propter ſiccitatem. Deſiſtunt autem ab incremento corpora citius, aut ſerius, duplici de cauſa.

✲ ✲

Hoc ipſe propoſita repugnantia, ſignificauit, cum dixit, humiditate, ac ſiccitate. nouimus enim ſicut plus, quam oporteat, ita etiam minus, duabus effici de cauſis: vt quod plus eſt,

propter redundantiam humoris, aut materiæ: quod minus, aut propter ſiccitatem, ſuperantem, E
aut propter materiam deficientem. Quam ob rem corpus, quod ſit calidius, quàm oportet, ſi in
prima conſtitutione medium in humiditate, & ſiccitate habitum obtinuit, id omninò in florenti
ætate ſiccum efficitur: idque tum magis, tum celerius. atq; etiam ſi natura erat ſiccius, idem quo-
que eo citius ſeneſcet, quo celerius ad florentem ætatem peruenerit. Dum enim omnes inclinan-
te ſe ætate ſicci reddantur, conſentaneum eſt, vt quod natura ſit ſiccius, id citius ad ſiccitatem per-
ueniat. quare ob hanc cauſam. ✻

Vtendum eſt ijs alimentis, quæ ✻

Reliqua deſiderantur.

GALENI IN HIPPOCRATIS LIBRVM DE ALIMENTO, F

COMMENTARIVS SECVNDVS.

Ioan. Baptiſta Raſario, Nouarienſi, Medico interprete.

✻ ✻ ✻

ASSIMILAT pro viribus, cum id, quod accedit, ſuperatur. Superat autem, quod prius eſt.

Deeſt quidpiam.

Tria eſſe naturæ animantis opera, ac neceſſariò tres actiones eſſe, quæ his operibus reſpondeant: vnam nimirum vnicuique generationem, actionem, nutritionem. Eſt autẽ generatio ex alteratione, formationeq; conflata. nihil enim efficitur, niſi ea ſubſtantia, ex qua fit animal, alteretur: neq; figuram nanciſcitur, niſi alterata ſubſtantia conformetur. Auctionem autem eſſe partiũ ſolidarum in longitudinem, altitudinem, & latitudinem incrementum, nemo, vt ego quidem arbi- G
tror, ignorat. Nutritio eſt appoſitio ijſdem adiũcta partibus. In hac, quod affluit, ſimile efficitur ei, quod iam factum eſt: atq; hoc in cauſa eſt, cur illam alterationem iure nominemus generationem: hanc verò, aſſimilationẽ. Cæterum hæ tres naturæ facultates, & primę ſunt, & maximè proprię: deſiderant tamen & ſui mutuũ, & aliorũ miniſteriũ. Nam & quæ generandi, & quæ augendi, vim habent, quædam, vt oſtẽſum eſt, deſiderant. Sed & virtus, quæ nutriendi fungitur munere, multa ipſa quoq; expetit. Eſt enim eius actio, vt diximus, aſſimilatio, non poſſunt autẽ res aſſimilari, & mutari inter ſe, niſi ſocietatẽ, & cognationẽ quãdam in qualitatibus habeant, in ſiccitate inquã, & humiditate, & caliditate, & frigiditate, & alijs omnibus, quę haſce conſequuntur: quas guſtatus, odoratus, aſpectus, & tactus, differentias quidã appellant. Atq; hęc quidẽ cauſa eſt, vt non omne animal quouis cibo ali videatur: neq; cibis ijs, quibus vt alatur, ei à natura inſitum eſt, protinus id faciat. Quam ob rem natura corporũ effectrix, vt quędam rerũ futurarũ prouidentia, multa in vnoquoq; animalis ad alterandum alimentũ accõmodata inſtrumenta fabricata eſt. Qua ſanè ratione ex rubris flaua, ex albis nigra, ex mollibus dura, ex male olentibus beneolentia, & viciſſim, fiũt quanquam hæc non repentè, ſed paulatim efficiuntur: ſicut ex ſanguine os, ex pane ſanguis, ex ſanguine caro. Quo-
niam autem in corpore copia excrementorũ colligitur, ideò natura ipſorũ ſecretionem deſiderauit. H
Quapropter quaſdã particulas alimenti excrementis deſtinatas machinata eſt. Sunt etiã particulæ per quas alimentum, quæq; neceſſaria ſunt, in omnes corporis partes comportentur. Cũ enim multa ſunt, quæ aluntur, tum verò etiam valdè diſtant inter ſe. quocirca quædam alterant, cuiuſmodi ſunt, quæ idoneum vnicuiq; particulæ alimentum præparant, quædam ſecernunt, vt ſunt ea omnia, quæ excrementorum cauſa facta ſunt: quædam tranſmittunt: quædam ſuſcipiunt ea, quæ per corpus feruntur: quædam excernunt: quædam ſunt tanquam iure quodam alimenti, & aliorum omnium. Ac natura quidem eſt admirabilis, & corporum curam gerit, ſiquidem ipſorum cauſa, & tot, & tales particulas procreauit. Finis autem ei propoſitus, eſt nutritio: quæ, vt in primo commentario diximus, eſt eius quod nutrit, cum eo, quod nutritur, aſſimilatio. ✻

Omninò autem, quæcunq; futura ſunt alimenta, oportet, vt in inſtrumentis, concoctioni deſeruientibus, vt in ventriculo, iecore, & venis immorentur: vt in eis prius confecta alere iam corpus queant: cum non poſſit alimentum effici prius, quàm in illis ſit cõmutatum. Quæ igitur omni ex parte aſſimilata ſunt, alimenta ſunt. Sed ad aſſimilationem nihil æquè confert, ac factam

eſſe

A eſse rectè in ventriculo coctionem, quòd ita ſecundam, & tertiam concoctionem cibi facilius admittant. Secunda autem concoctio in iecore, venisq; conficitur: tertia in ſingulis partibus, quæ nutriuntur: cuius cauſa duas illas priores requirimus. Ipſæ enim ſe concoctiones inuicem excipiunt. Itaque omnibus corporis partibus alimentum præparat iecur: huic ventriculus: ventriculo denique os. quare natura aſſimilat, cum ſuperat, concoquitq; alimentum, quod ſuperuenit: & cum facultas, quæ prius inerat, ſuperat, conficit, alterat, aſſimilat, ac poſtremò nutrit.

EXILE autem ſit, quandoque prius in tempore diſſolutum, aut appoſitum: quandoque verò poſterius in tempore diſſolutum, aut appoſitum.

Interdum iecur, interdum ventriculus trahit valentius. Cum enim magna alimenti copia ventriculo continetur, ac iecur vehementer appetit, & aliquid deſiderat, id valentius trahit omninò. at cum ipſum plenum, diſtentumq; ſit, ventriculus verò appetat, ſitq; vacuus, tum ipſe trahit valentius, & ex iecore facilè attrahit, cum ipſe alimentum magnopere expetat, illud verò ſit plenum. Interdum autem cur animal non eſuriat, cauſa eſt alimenti redundantia, quæ in iecore eſt, & ſi venter
B alimentum quandoq; poſtulet, nec eius adſit copia, excrementis impletur. Vnaquæque tamen particula robur quoddam natura ſibi inſitum habet, cuius vſu quod ſuperuacaneum eſt, expellit, & quoduis inſtrumentum in ſe trahit alimentum, quod iuxta ſe eſt: idq; in ſe recondit. deinde, vti diximus, agglutinat, & aſſimilat. Totius autem diſtributionis alimenti tres partes quædã ſunt, prima eſt, cum manet in ventriculo, & concoquitur, atq; apponitur: atq; inde aliquid ad iecur aſcẽdit. Secunda eſt, cum tranſit inteſtina, ijsq; ipſis, & iecori ad ſaturitatem apponitur: tũ particula eius exigua in omnes corporis partes comportatur. in tertia ſcito, vẽtriculum iam ali, ſibi planè aſſimilatis ijs, quæ ſibi agglutinarat: & agglutinari iecori, & inteſtinis, quæ fuerãt appoſita: & in oẽs corporis partes digeſtionem, appoſitionemq; effici, quod ſi poſtea animal ſtatim alimẽtum ſumit, inteſtina agglutinatum ſibi ſuccũ perfectè aſſimilãt, ac ſimili etiã modo iecur. in toto autem corpore partes alimenti, quæ appoſitæ fuerunt, agglutinabantur. Sin autem vẽtriculus ſine cibo maneat, hoc tempore à venis, quæ in lactibus, & iecore ſunt, trahet alimentum. Enimuerò naturalium actionum, & prima, & ferme maximè neceſſaria nutritio eſt. Fruſtratur autem, vel cum prorſus non fit, vel cum diminutè, aut vitioſè: idq; aut vitio virtutis, quæ nutriendi vim obtinet: aut etiam propter materiæ defectionem, aut malitiam; aut & intempeſtiuè, aut ſine ordine quid ſit adminiſtratum: aut culpa
C cuiuſdam praui excrementi, aut ſomni exigui. quo ſanè tempore fiunt, aut cruditates, aut tarditates concoctionis, aut manca concoctio, aut in tardis concoctionibus cernitur. Sicut etiam vitioſa, & praua fit in corruptelis. Priuatio verò actionis in nutritione vocatur ἀτροφία: deficiens nutritio, gracilitas. quædam tamen harum cauſarum in virium imbecillitatem. quædam in vitium alimenti, quædam in vitæ ſtudia, & ea, quæ extrinſecus incidunt animantibus, referuntur. Si igitur alimẽtum primo diſſolutũ, & in tẽpore datum, in corpore ſit: exile ipſum effici ait, & per qualitates commutari: ſicut perſpicuum eſt ex oleribus, & pane, & carnibus ſanguinem effici. vultq; hoc idem cõtingere, ſi poſterius, aut appoſitum, aut diſſolutum tãdiu maneat in corpore, quã diu ſatis ſit, natiuus enim calor in corpore vim habet alterandi ſubſtantiã, & materiam alimenti, quod vel præſumptum, vel appoſitum ſit. Fit autẽ tum prius, tum poſterius exile alimentum, habita ratione tẽporis, quo ſumptum ſit. ac magis etiam, minusq; nutrit, prout diſſoluitur, concoquiturve, aut ſecus. non tamen æquè ſuperatur à qualitatibus, quæ animantibus inſunt. Superari enim eſt alterari. Eius rei cauſa eſt, quia quarundam partium vires valentiores ſunt, quarundã infirmiores. Ex quo conſequitur, vt omnes ſuperent illæ, quidem proprium alimentum, ſed non tamen ſimili modo. Ventriculus enim alterat magis, quã os, ſed minus, quàm iecur, & venæ: ſi quidem alteratio, quę in vẽ-
D tre fit, alimentum in ſanguinis ſubſtantiam mutat: quæ verò in ore, mutat ipſa quidem euidenter in aliam formam: ſed non tamen perfectè transformat. Cum autem perfectè ſit facta transformatio, vnaquæque particula idoneum ſibi alimentum trahit; vt ex vẽtriculo in iecur, ex iecore in corpus vniuerſum fiat diſtributio. Cõſtat enim inter omnes, quæ nutriuntur, per ſe tota nutriri: quæque miſcentur, per ſe tota miſceri. Denique per ſe tota alterari, quæ alterantur: itemq; concoctionem eſse alterationem, ac nutrientis in propriam qualitatem eius, quod nutritur, mutationem: & item vim efficiendi ſanguinis: tum nutritionem, accretionemq; ex eo effici, quod corpus in omnẽ partem extendatur, & alatur. Quoniam autem in ijs, qui non nutriuntur, partes celerrimè refrigerantur, propterea, quòd ipſarum nutritio ex calido ſucco ſanguinis efficitur: ideo vt calor ille ſeruetur, natura fecit, ne iecur, & cor à moderato alimento deſtituta ſint prius, quàm valida in toto animali ſit ſanguinis penuria: idq; machinata eſt, quia ſanguis totus ex iecore principium ducit: in corde verò, propter valentem attractionem: ſiquidem vehementiſſimam trahendi actionem habet: ex qno fit, vt nunquam poſſit eſse ab alimento deſtitutum prius, quam vniuerſæ animantis particulæ ad extremam inopiam peruenerint.

EXTINGVIT autem vtrumque in tempore, & poſt tempus, quod extrinſecus aſſiduè ſuperingeſtum eſt, & per multum temporis firmiter omnibus membris implicatum eſt.

Importu-

Importunæ,ac frequentes cibi sumptiones faciunt, vt plurimum eius succi,qui crudus vocatur, E
accumuletur:id quod pueris contingit maximè:& ex adultis,ijs,qui in otio vitã traducunt:aut alioqui sese explent. Siquidem in eis omnibus plurimum est id,quod non conficitur: atq;in illis quidẽ propter otium:in his verò propter satietatem. voraces enim sunt.ac corpus trahit alimentum prius, quam in ventriculo sit accuratè concoctũ. & eo maior crudi succi coaceruatur copia,quò frequentius alimentũ additur,quod ipse superingestum dixit. Accedit etiã, in pueris immoderatus motus cum in omni tempore,tum,vel maximè à cibo. Scimus enim,quemadmodum maximè est ad bonã valetudinem accommodata ante cibos exercitatio,ita post cibos omnem motũ maximè noxiũ censeri. nam,vt dicebam,alimentum è vẽtriculo ante,quam confectum sit, distribuitur. & ex eo copia crudorum humorum in venis colligitur,ex quibus omnia genera morborũ gigni solent. Atqui nemo vnquam ægrotabit,qui sedulò prouidebit,ne vnquã cruditate laboret; ac,ne vehementiore vllo motu post cibum cieatur. quæ tamen omnia pueri floccifaciunt. quam ob rem diuinus Plato in libris de legibus ita scriptum reliquit, Puer inquit, omnium est ferarum intractabilis maximè. ac nisi plurimum natiui caloris in pueris inesset, tantam ferre cruditatem nunquam possent. Quemadmodum autem si quis plura sumat, & cruditates, & humores crudi gignuntur: sic etiam si pauciora ingerantur, corpora refrigerabuntur, ac lædentur. debet enim alimenti quantitas proportione respondere perspirationis quantitati. Si autem nihil à nobis defluereț, nihil opus esset alimento: quia pristina substantiæ moles ad omnem æternitatem temporis conseruaretur. nunc verò cum animantium corpora perspiratione, quæ fit per meatus, qui sensum nostrum effugiunt, difflentur, idcirco alimento indigemus: siquidem nutritio est expletio eius, quod euacuatum est. Cum igitur, aut tempore accommodato ad alimentum offerendum, aut post illud tempus quispiam assiduè cibum det, tunc id necessariò eueniret, vt vtrumque alimentum hebetetur, vt superioribus etiam verbis censuit: & natiuus calor extinguatur, & vincatur: vt statim cum *ipso concoctio ciborum*, probi sanguinis origo, partium animantis nutritio, & excrementorum euacuatio debilitetur. Contra verò,si quis tantum cibi sumat, quantum possit conficere, tum & calor ipse adaugebitur, & cætera omnia, quæ dicta sunt, probè in animantibus administrabuntur. Idem quoque patietur animal, si id, quod extrinsecus continuò adhibetur, multo tempore firmiter omnibus membris implicatum sit. Significat enim, id neque à particulis trahi posse, neque concoqui,neq;etiam vllam ex naturalibus actionibus effici. ✻ ✻

ac nisi vtrunque rectè faciat, omne genus malorum bonæ valetudini ad- G
uersaturum, sperandum est. ✻

ET IDEAM produxit.

Vocat ideam hoc loco formam, & speciem alimenti. Cum enim cibus concoqui incipit, tunc pristina forma mutatur. Huius rei signum est id,quod per totam noctem in dentium interuallis relictum est: siquidem propriam formam non seruat: sed vnius noctis curriculo valdè immutatum videtur. neque enim panis exquisitè: neque caro est caro, sed tale quidpiam olet, quale etiam os animantis, cum in coctionis instrumentis propriam formam nanciscatur, ac vel in sanguinem, vel in pituitam, vel bilem flauam, vel atram conuertatur: quos quatuor humores appellamus, & Hippocrates multorum morborum causas esse docuit. ✻

Meum autem librum in manibus omnium esse arbitror. ✻ erit autem hæc,vt totius rei summa quædam. Quatuor igitur humores in nobis sunt secundum naturam. Hi cum quantitate excedunt, & in qualitate alterati sunt, morborum causas afferunt. Cæterum H
hyeme redundat pituita, vere sanguis,æstate flaua bilis,autumno atra. Quæ cum docuisset,& item hæc, contrariorum medicamina esse contraria, elementum nobis tradidit methodi, quæ ad artem accommodata est. ad quæ cum aggregasset, quæ in Aphorismis habentur de morbis, qui quoque tempore,& quaque ætate vigent, ad ipsa elementa quasi syllabas attexuit. Sed ego breuitatis causa, ipsius verba nunc afferam. ✻

Primum enim alimenti principium, vt in illo dictum est, os, stomachus, & venter est. Secundum, venæ ex iecore in ventrem pertinentes: in quibus primis effici sanguinem, ostensum est. Tertium est iecur: quartum post iecur, est vena caua: siquidem in ipsa prima sanguis ab excrementis liber relinquitur. ab hac autem vena, sicut aliæ omnes animantis particulæ, ita etiam cor, alimentum sumit. quare perspicuum est, formam efferri, & produci, si nutriri animal debeat.

COMMVTAT pristinam, & descendit.

Dictum est, concoctionem esse alterationem in qualitate, eamque à ventriculo, cibos sibi assimilante,

A milante,effici. Talis enim quædam ex quatuor elementis confecta temperies,quæ proprietatẽ corporis ventriculi facit, eſt alterationis ciborum cauſa. & hoc ad agendum maximam vim calidum elementum affert. Neceſſe enim eſt,vt quod alit,alteretur, dum in eius, quod alitur, naturam mutatur. quo circa ventriculus conſtringitur ad cibos, & accommodatum ſibi humorem inde elicit, donec expletus quicquid excrementi ſuperfluit, in ieiunum expellat. Quemadmodum autẽ iecur, tum ex ventriculo,tum ex inteſtinis alimentum per venas attraxit:ita quę poſt ipſum ſunt,per alias venas in ſe illud trahunt: tum deinceps ex his alia: idq;fit vſq; dum in omnem animantis particulã alimentum peruenerit. Eſt enim in commentarijs de facultatibus naturalibus demonſtratum, cibum,& potum in omnes corporis partes per tranſumptionem comportari.ad hos autem perferendos,venæ,veluti canales quidam,à natura factæ ſunt. ac primum quidem vena magna: tum ipſius ad portas iecoris propagines,& productiones tot numero,quod iecoris fibræ ſunt. Sed & de venis & de ipſarum,itemq; arteriarum principio, in quarto commentario ad illa verba, Radix venarum iecur: radix arteriarum cor: copioſius differemus.

B *ALIT concoctum.*

Quæ ante dicta ſunt,concoctionẽ fermè ſignificant omnia.nam quod dixit,exile fieri alimentũ, produci,priſtinamq;formã commutare,idem eſt,atq;id,quod nunc vno verbo extulit,cùm ait,ipſum alere,cum concoctum eſt. Crudi enim humores alere non poſſunt prius, quam concocti ſint. Enimuerò cũ quotidie magna ſubſtantiæ pars ab omnibus animantibus defluat, propter calorem innatum, ipſorum corpori maximè neceſſaria eſt concoctio. quocirca, vt iuſtus caloris modus ſeruetur,cibis, potionibusq; opus eſt. Quoniam autẽ quod à ſingulis particulis defluit, tale natura eſt qualis eſt ipſa particula,nihil autem eorum,quæ edimus,aut bibimus,tale prorſus eſt:ideò fuit naturæ neceſſariũ,ea immutare,concoquere,& eadem alendo corpori ſimilia pręparare. Excrementa verò,quæ per alterationem fiunt,extrudit illa potentia,quam expultricem vocamus:ſiquidem omnis particula id trahit,quod eſt ad ipſam accommodatum,& reijcit alienum,quodq; attraxit, alterat. & quo tempore alterat,eo retinet, & conſtringit. hæcq;ue alteratio vſq; dum ad ſimilitudinem partis,quæ alitur,ſit facta mutatio,vocatur concoctio:cùm verò iam particulæ apponitur,nutritio. quare quis eſt,qui non norit,concoctionem eſſe quandam alterationem,& mutationem eius,quod nutrit, in accommodatam ei,quod nutritur, qualitatem? atque alterationem à calore effici, itaque
C etiam nutritionem,concoctionem,& humorum omnium originem? Si igitur hoc eſt concoctio,alimentumq; in ventriculo ſumit qualitatem accommodatam ei,quod nutriendum eſt, certè planum eſt, alimentum in ventriculo concoqui. Hoc tamen minimè placet Aſclepiadi, atque Eraſiſtrato, quorum alter,neq;in vomitibus,neq;in ructibus,neq; in diſſectionibus qualitatem ciborum cõcoctam vnquam apparere cenſet: atq; adeò ſtultus eſt,vt cum veteres, ac præſtantes viri dixerint, cibos in ventriculo ad bonitatem conuerti, quærat non eam bonitatem, quæ ad potentiam pertinet, ſed eam, quæ in guſtu eſt. Eraſiſtratus eſt riduculus, & imperitus: quia cum apertè dicat Ariſtoteles,concoctionem elixationi ſimilem eſſe, quam in ſententiam hoc dictum ſit,intelligere non poteſt. Negat enim veriſimile eſſe,concoctionem ſimilem eſſe elixationi,quæ leuem calorem habeat: tanquam oporteat,aut ignem adurentem, aut flammam ſemper ventriculo ſubijci, ſicut lebeti: aut alioqui cibos alterari ab ipſo nõ poſſe. Sed de horũ,& ſtultitia,& inſcitia dictum eſt nobis in commentarijs,quos de facultatibus naturalibus edidimus. Nunc verò,quoniam natura ſemper concoquit, diſtribuit, ſanguinem efficit, apponit,agglutinat, & aſſimilat,ſcire conuenit, non conſueuiſſe alimentum ex ventriculo emitti, niſi ſit perfectè concoctum. Cum verò perfectè cõcoctum ſit,tum os inferius aperitur,& cibi per ipſum facilè excidunt. Si verò acrimonia quædam ventriculũ mor-
D deat,tunc citius,quam oportet,alimentum adhuc incoctum abijcit. Rurſus multitudine quandoq; onuſtus,aut his ambobus coeuntibus,male affectus,diarrhœis corripitur. Siq; in hoc morbo natiuus calor debilis reddatur,profectò neque rectè cibos concoquere,neq;ſanguinem efficere,ac multò minus diſtributionis munere fungi poteſt. Facultas quoque ſanguinem efficiens ad proportionem eius, quæ in ventriculo concoctionem obit,interdum præ imbecillitate humorem eum,qui ſit in venas diſtributus,quamuis eſſe moderatus videatur, non alterabit. Præſertim cum non coctis, & corruptis in ventriculo cibis,probus in iecore, & venis effici ſanguis non poſſit. In quibus igitur cibi rectè concoquuntur, ijs & ſanguis probus, & moderata copia carnis efficitur. Sæpenumero autem vitioſæ coctiones fiunt, quòd ea, quæ ſumpta ſunt, aut pituitoſiora,aut bilioſiora ſint reddita: aut aliam quampiam corruptelam contra naturam contraxerint: aut cruda, & immutata diutiſſimè permanſerint, & flatu impleta ſint. Itaque alimentum nunquam nutriet prius, quàm rectè ſit concoctum, ſicut ipſe ritè cenſuit.

IDEAM priorem commutat, eſt interdum, cum priores hebetauit.

Priorem alimenti formam mutari, & in eius, quod alitur, naturam conuerti, ſiquidem rectè ſit concoctum, iam eſt à nobis, & dictum,& demonſtratum. Videmus enim ſæpe panem, quo veſci-

mur,

mur, primum in ventriculo concoctum, & à iecore in sanguinem conuersum, in ventrem iterum E
referri. Quod sanè fieri non posset, nisi caro iecoris, quæ affusio nominatur, eiusmodi commutationem efficeret, & sanguinem procrearet. Etenim si sanguis concresceret, caro iecoris prorsus erit effecta.

*

*

Neque potest priores hebetare, alimento non corrupto, hoc autem propter multas causas vsu venit: quæ expositæ sunt in libro de symptomatibus, & in eo, qui est de

*

Sed hac de re in progressu orationis iterum differetur. Nunc reliqua addamus, de quibus nos paulo antè dicturos esse, polliciti sumus. *

Finis non extat.

F

GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE ALIMENTO.

COMMENTARIVS TERTIVS.

Ioan. Baptista Rasario, Nouariensi, Medico interprete.

FACVLTAS autem alimenti peruenit, & ad os, & ad omnes eius partes, & in neruum, & in venam, & in arteriam, & in musculum, & membranam, & carnem, & pinguedinem, & sanguinem, & pituitam, & medullam, & cerebrum, & spinalem medullam, & viscera, & omnes ipsorum partes.

Corpus animãtis, ex plurimis, vt perspicuum est, particulis conflatũ est, quas è similibus inter se particulis, aut dissimilibus constare asserimus. Corporũ autem eorũ, quæ sunt ex partibus inter se G
similibus, tria sunt genera, quæ & exanguia sunt, & sinum non habent. Eorũ alia ex ossibus, alia ex cerebro, dorsiq; medulla, alia ex musculis oriuntur. Vocántur autem è similibus inter se particulis conflata, eoq; omnes partes, tum sibi mutuò, tum toti similes sint. Eædem & simplices, & primę nominantur, siquidẽ ex eis constituantur ea, quę cõposita, organicaq; appellantur, cuiusmodi est digitus, cubitus totus, brachium totum, & crurum particulæ, itemq; oculus, lingua, cor, pulmo, omniaq; viscera, & venter, & intestina, quin etiam caput, & quæ in ipso partes sunt: ex quibus partibus totũ rursus corpus constitutum esse medici norunt. Primæ autem particulæ gignuntur ex sanguine, qui ex alimento intra corpus sumpto oritur, & item ex semine. Hæ partes sunt chartilago, os, neruus, membrana, copula, arteria, vena, & quæ sunt generis eiusdem omnia: tum ex ijs conficitur oculus, lingua, caput, viscera, artusq;. Denique ex his totum corpus, atque hæc quidem omnia naturales qualitates in se habent: vt per exuperantiam humida sit caro, frigida chartilago, siccum, & frigidũ os: pinguedo humida, & calida, & vnaquæq; particula, quæ è similibus inter se particulis constat. Quin etiam complura sunt spatia inter prædictas particulas similes inter se, & primas: atq; ijs plura, maioraq; inter organicas, & compositas. Vt autem omnes corporis partes alimentum sumant, interdum natura spatium in vnaquaq; particula, quæ constet ex partibus similibus inter se, fabrica- H
ta est, vt in osse, & cute. Ac mollia quidem corpora, quæ sibi mutuò incumbunt, habent interiecta spatia, quæ sensum effugiunt, quæ verò dura, siccaq; admodum sunt, in eis interualla cernuntur, vt cernere est cauernulas in ossibus: in quibus est humor crassus, & albus, quem ad alenda ossa natura præparauit. In cute autem foramina quędam sunt, tum ad huiusmodi vsum, tum verò etiam, vt quę superuacanea sunt, exeant. Cæterum quomodo alimenti facultas ad vnamquanq; particulam comportetur, nemo, qui nostrum de facultatibus naturalibus librũ leget, poterit ignorare. In illo enim ostensum est, canales multos per omnes partes sparsos sanguinem eis, veluti in hortulo irrigationem quandam adducere. Habent autem hi canales interiecta spatia quædam, sic præparata, vt neque nimis parcè medijs eorum partibus sanguis, quem ad se trahunt, suppeditetur: nec copia superuacanei humoris, intempestiuè ad ea confluentis, vnquam obruantur. Hæc autem fabricatio est à natura, vel in ipso initio facta, vt omnes particulæ alimentum facilè sumerent. Summæ enim continui corporis partes primum admoto sibi alimento perfruuntur. Ab ijs sumunt, quæ deinceps sequuntur, per continuum trahentes. Deinde ab illis aliæ: idq; fit vsq; dũ alimenti qualitas in omnes sit partes corporis comportata. Non omnes tamen simili ratione nutriuntur: sed aliæ magnam mutationem expetunt, aliæ exiguam: vt illic perspicuè declarauimus. Quæcunque autem humo-

rem

A rem,quo nutriuntur, deſiderant, ijs à natura præparatum veluti penum quendam diximus,exempli gratia ſinus,aut cauernulas,vel aliud quidpiam,quod his proportione reſpondeat.Ac ſanguine quidem parum alterato,viſcerum omnium, & muſculorum carnes aluntur. At oſſa, niſi permagna intercedat mutatio, ali non poſſunt. Et ſicut ſanguine aluntur carnes,ita oſſa medulla nutriuntur. Quod tamen eodem modo in omnibus non fit : propterea quòd exigua quædam ſunt, & ſinus expertia:quædam maiora,& quę ſinus habent.Proinde in paruis,& ſinus expertibus medulla eſt cauernulis ipſorum inſperſa: in maioribus,& ſinus habentibus,vtique in ipſis collecta eſt. In chartilagine eſt mucoſum quid, ei circunfuſum: ligamentis, muſculis, & neruis lentus humor inſperſus. Quod autem alimentum vnaquęq;pars trahit,id paulatim aſſimilat,& in ſui ſubſtantiã mutat.Perueſtigemus aũt in ſingulis particulis,ab ipſo enumeratis,quid veri ſit.Facultas,inquit alimẽti peruenit in os:& tamen apparet perſpicuè,in cunctis animãtibus,nullũ ex paruis oſſibus medullã continere. Cauſa eſt,quia neq;ſinum vllum notabilem,& magnum habet: ſed ſolũ cauernulas,vt dixi, & eas quidẽ paucas,& anguſtas. In eorũ enim conſtructione duo fuerunt naturæ propoſita,vt durities ad ſuam tutelam,leuitas ad motiones animantis pertineret:neq;facilè erat hæc ambo in idem conuenire. Si enim os præterquam q; anguſtũ ſit,cauum etiam eſſet factum, omninò imbecillũ ex-
B titiſſet:at ſi magnum,& plenũ,& denſum,grauiſſimum fuiſſet,& ad geſtandum difficile.Etenim de tibia,femore,& brachio quid eſſet cenſendum, ſi neq; ſinus adeò amplos habuiſſent,neq; ipſorum fuiſſet rarior conſiſtentia? Ad duplicem autem vſum,quem indicauimus, ſecuritas ex denſitate,& duritie:leuitas ex contrarijs extitit. In quibus tũ propter robur muſculorũ,ac totius corporis fortitudinem,vtrunq; cõparari poterat,in ijs omnibus,& denſa, & dura oſſa à natura facta ſunt, & medulla eſt ipſorum accommodatũ alimentum: quæ verò non habent,ea ſuis cauernis tale quid continent,quo nutriri queant.Ad oſſa verò addidit neruos, cum ait, & in neruum. Ac neruorum quidem ſunt tria genera: alij enim à cerebro, & ſpinali medulla oriuntur: quos voluntarios nuncupamus:alij ex oſſibus,quos,vt ita dicam,ligamentales vocamus: alij ex muſculis, quos tẽdines nominant.alij porrò duri,alij molles ſunt,ac durorum omnium origo eſt ſpinalis medulla.Eius verò ora inferior duriſſimorum: mollium verò omnium fons eſt cerebrũ: media verò anteriorum eius partium molliſſimis dicata ſunt. at mediorum neruorum ſubſtantiæ principium ideſt,quo cerebrum, & ſpinalis medulla coniunguntur. Hoc tamen ignorauit Ariſtoteles, qui cæteris in rebus præſtãs, & ſcientia ornatus,in diſſectione corporum non admodum excelluit. Nunc verò de alimento,quo
C nerui fruuntur, hoc tantum habeo dicere, glutinoſum, aptum ad trahendum, & difficile ad excernendum eſſe id,quo nerui aluntur: idq; perſpicuum eſſe ex ijs, quæ in neruis apparent. Nam ſi elixentur,aut computreſcant,in huiuſmodi humorem diſſoluuntur. Cum verò naturalem, ſuumque ſtatum ſeruant, ſunt omninò exangues. Præterea ſingulæ partes humore propriæ ſubſtantiæ accommodato aluntur. Nihil autem ad neruum alendum accommodatius, quam quod dictum eſt, comperies. Ergo neruus alitur, euacuationem tamen non exigit,quia nullam habet ſenſibilem cauitatem,ſicut in venis,arterijsq;conſpicitur. Atque hoc interdum in cauſa eſt, vt neruis glutinoſo, frigidoq; humore repletis, quò ſanè humore nutriuntur, conuulſio ipſos tentet. quod non contingeret,ſi cauitatibus ſenſibilibus, per quas fieret excretio, prædiți eſſent. Et in venam, inquit, & in arteriam. Quamplurimas, & venas, & arterias in toto animantis corpore natura fabricata eſt. ac ne longè abeam,in facie, & toto capite natura permultas arterias arterijs,venasq;venis,tum à dextris ad ſiniſtra, tum à ſiniſtris ad dextra, tum ab anteriore parte ad poſteriorem, & rurſus à poſteriore in anteriorem, & ab externis partibus ad internas, & ab internis ad externas perducens attexuit. Cum autem vena,aut arteria in muſculum,aut viſcus,aut aliquam aliam partem inſeritur,tenues quaſdam propagines corporibus ſibi admotis mittit. Cuius rei perſpicua cauſa eſt:omnes nimirum particulas,tam calidas,quam frigidas,& tam duras,quam molles alimento indigere.Easq;
D alimentum ex ſanguine accuratè alterato trahere. Has autem particulas nunc auctor connumerauit, quia ex ipſis omnes corporis particulæ componuntur : neque vlla poteſt inueniri, quæ ſit harum expers. Etenim ſi ali debent, profectò ſine his effici id non poteſt. Omnes autem muſculi, & arterias habent, & venas, & per has alimentum ad ipſos comportatur. Si enim ipſorum permanens eſſet ſubſtantia, certè neque arterijs,neque venis opus ipſis eſſe diceremus. Sed cum alimento indigentes ſint, &, vt ante dixi, ſeruandus ſit iuſtus natiui caloris modus, idcirco, & venis, & arterijs opus fuit. Quia verò innatum ſenſus, & motus principium non habent, ideò neruis ſemper indigent, qui hoc eis ſuppeditent. ✲ ✲

Non tamen naturalibus inſtrumentis. ✲ ✲

Animalibus tamen inſtrumentis naturalis quædam eſt attributa diſpenſatio, indigentq; ipſa quoque,& arteriarum,& venarum ope ad ſuam eſſentiam conſeruandam. ✲

✲ Permultum autem hæc in re differunt. ad plurimas vſque extenta particulas,ac non ſolum in muſculos, ſed etiam ✲ partes. ✲

Propterea addidit. Et in membranam, & in carnem, & in pinguedinem: quas priſci tunicas, membranas, & meningas vocabant, eas nunc vno nomine membranarum auctor ſignificat. quos nos quoque ſequuti omiſſa nominum ſubtilitate,rem propoſitam pertractabimus.

✲ Ad

Ad ſpiritus inſtrumenta: & coſtas omnes intus ſubcinxit. E

Cum interim nulla corporis pars ſine ſanguinea ſubſtantia effici queat. Nec tamen quæcunque albæ, & exangues ſunt ipſo effici ſanguine poſſunt: ſicut iecoris ſubſtantia. Id quod propter ſimilitudinem, quæ inter ſanguinem, & ſubſtantiam corporis ipſius intercedit, accidit.

Vaſa igitur, ac membrana ita gigni videntur, vt non modo primam conſtitutionem ex ſeminis ſubſtantia, ſed etiam reliquum in longitudinem, & latitudinem incrementum accipiant. ac membranæ quidem, ſicut etiam aliæ omnis corporis particulæ, naturales actiones habent, vt trahere, continere, excernere, atque alterare poſſint. qua de re nemo controuerſabitur, qui libros de

Pinguedo autem eodem modo alitur. Siquidem ipſa inſtar olei pinguis eſt animantis partibus membranoſis, ac neruoſis affuſa.

Proinde quæ bene aluntur, aut pinguedinem, aut adipem habent omnia. quæ verò gracilia ſunt, & non nutriuntur, ſæpe ne habere quidem omninò, ſæpe verò ita parũ, idq; ſiccum, vt vix F
vti poſſis, videntur. De ſanguine autẽ quid attinet dicere? Ipſe enim & cibis alitur, & cętera omnia, quæ in corpore ſunt, alit. Duobus autẽ modis ſanguis dicitur, interdũ, vt ex altera parte cæteris humoribus reſpondeat, hoc eſt, vt à pituita, & vtraque bili diſtinguatur, interdum verò ex præſtantia totus is humor, qui vaſculis continetur. Hoc autem loco cum addidit, & pituitam, & reliqua, planum eſt, vnum ſignificari humorem ab alijs diſtinctum.

Calor, vnicuiq; animanti natiuus temperatus, & modicè humidus eſt auctor ſanguinis: ob eamque cauſam ſanguinem calidum, & humidum poteſtate eſſe dicimus: ſicut flauam bilem, calidam, & ſiccam: atram, frigidam, & ſiccam: ipſam deniq; pituitam humidam, & frigidam: qua de re & ab Hippocrate, & ab alijs veteribus euidentes probationes allatæ ſunt.

Quantum igitur pituitæ in venis fertur, cum vtile animantibus ſit, vacuatione non eget: ſicut ex vtraque bili altera inutilis, & præter naturam. quæ autem pituitæ pars dulcis eſt, ea & vtilis, & naturalis animanti eſt. quæ verò acida, ſalſaq; eſt, acida omninò cruda eſt, ſalſa verò computruit. De medulla autem.

Hoc ipſius eſt proprium, vt ſit, velut dictum eſt, oſſium alimentum. Cum verò ſpinalis G
medulla quædam habeat cerebro communia, quædam propria, communia ſunt, vt corporis eſſentiam ſimilem habeat, & neruorum origo ſit: propria vt cum cerebrum pulſet, ac motu cieatur, quanquam eſſe immobili continetur, ipſa tamen non moueatur, tametſi, à vertebris mobilibus contineatur.

Quemadmodum autem ſpiritus vitalis in arterijs, cordeq; gignitur, & ortum ex ſpiratione ducit, & ex humorum halitu: ſic animalis fit ex vitali admodum elaborato. Et quemadmodum in ventriculum, & inteſtina arteriæ, venæq; plurimæ perueniunt, bilem, ac pituitam, & aliàs id genus humores in externam capacitatem effundentes, & ſanguinem, ac vitalem ſpiritum intra ſe ipſas cohibentes, ſic in cerebri ventriculos venæ excernunt ea, quæ ſuperuacanea ſunt: ſanguinemq; retinent: arteriæ verò ſpiritum reſpirant. Quæcunque autem cerebri partes membranam ipſius ſuccingentem contingunt, eæ ſibi alimentum hauriunt. quæ verò longius abſunt, materiarum inclinationibus adiuuantur. Dictum enim eſt, omnes corporis partes facultatem habere materiæ ſibi accommodatæ attrahendæ. Itaque vt vniuerſum corpus ipſius particulæ trahere alimentum queant, natura magnam arteriarum, venarumque copiam in totum corpus pertinentem machinata eſt: quæ ita vicinæ inter ſe, ac ſæpe etiam propinquæ ſunt, vt ſeſe contingant: ſicut eas H
eſſe perſpicimus, quæ in ventriculum, in ieiunum, vniuerſumque tenue inteſtinum, & colon, & iecur, & pulmonem, & renes, & veſſicam, & vterum, & lienem, & ipſum cor peruenerint. Sed etiam in his

Quod cum in alijs fermè omnibus corporis particulis, tum, vel maximè in cerebro conſpicitur.

ET IN calorem, & ſpiritum, et humorem.

Quemadmodũ corpus refrigeratur in nutritionis defectione, ita ipſum alimento excalfieri perſpicuũ eſt. Cũ tamẽ refrigeratio ex diuturnis quoq; ſolidorũ corporũ ſiccitatibus cõſequatur: quippe permanere ipſa per ſe ſiccitas, ſi nõ mutetur oppoſitio, quæ ex calido, frigidoq; conſtat, nõ poſſit. particulę enim in nutritionis defectione celerrimè refrigerant: propterea q̃ calido ſanguinis humore nutriũtur. ex quo fit, vt cũ alimẽta innato calore cõcoquantur, corpus calfaciant. hoc tñ protinus non fit. Vt enim alimenta ad ignẽ accõmodata ignẽ augent, ita corporũ natura calidorum alimentum, quod ipſis accommodatũ, innatumq; ſit, ea perpetuò roborabit, & innatũ calorem adaugebit.

idq;

A idque est omnis alimenti proprium, interdum tamen copiosius alimentum hebetat innatum calorem, instar lignorum viridium, quæ vt sint ignis alimenta ipsa quidem, tamen quia plura in ignem coniecta sunt, idcirco flammam occultãt, & ne ignis extinguatur, periculum afferunt. Ergo alimenti facultas in calorem, & humorem perducitur. quia is succus, qui ex cibis conficitur, non possit rectè ex ventriculo in venas transumi, neque facilè venas, quæ in iecore multę, angustæque sunt, pertransire, nisi tenuior quædam, & aquea humiditas ei, tãquam vehiculum quoddam, fuisset admixta. Hippocrates autem venam cauam alimenti vehiculum vocat: propterea quod in ipsa sanguis multa, tenui, & aquea humiditate plenus est. Constat enim, naturalia instrumenta quo humidiora sint, eò melius nutriri: tametsi extremè humida temperie sint. quod verò ad concoctiones pertinet, neque se ipsis meliora sunt, neque etiam siccioribus, etiam si similiter sint calida. Calor adauctus valenter alterat: frigus nulli actioni est vtile: siccitates ad robur valent: humiditates sunt ad nutritiones accommodatissimæ, alijs actionibus, præter quam incremento, maximè contrariæ. Nam ad incrementum potius, quam ad nutritionem valent. De spiritu autem, & spiritum esse duplicem animalem, & vitalem, & ipsum esse omnium eorum, quæ sunt in corpore, leuissimum, & tenuissimum, nihil opus est dicere. ✣ ✣ ✣

B *ALIMENTI autem quod alit, hoc alimentum, et quod velut alimentum, et quod futurum est alimentum.*

Dictum est, nutritionem esse assimilationem eius, quod nutrit, ei quod nutritur. & vt fiat, præcedere agglutinationem, & vt hæc fiat, appositionem oportere. humor enim, qui quamuis corporis particulam nutriturus est, primum in ipsam totam dispergitur, deinde apponitur, tum agglutinatur, denique assimilatur. Vbi igitur corpus vna qualibet earum, quas in se habet, qualitatum id, quod sibi admouetur, commutat: non est existimandum eo casu id ipsum tota substantia agere, neque id quod mutatur, assimilari ipsi posse. quare quod ita mutatum est, nunquam nutriet id, quod se mutauit. Si verò illud mutabit, hoc est tota sui substantia aget, vtique tum sibi assimilabit id, quod mutatur: tum ab eo nutrietur, quippe cum nihil aliud sit nutritio, quam perfecta assimilatio. Alimentum igitur propriè vocatur id, quod iam nutrit. quod verò est velut alimentum, neque tamen adhuc aluit, cuiusmodi est, quod agglutinatur, vel quod apponitur, non propriè, sed homonymè alimentum appellatur. quod autem venis, & magis etiam quod ventriculo continetur, vtpotè quod nutriturum aliquando sit, si probè confectum fuerit, alimentum nuncupatur. quocirca solent medici edulia quæq; in his alimenti significationibus alimenta nominare, non quod iam alant
C animantes, nec quod talia sint, qualia sunt, quæ alunt: sed quia nutrire possint, nutrituraque sint, si probè conficiantur. Ipse autem quod iam assimilatum est, alimentum vocat. quod verò tale est, quale illud, quod appositum, agglutinatumve est, velut alimentum, reliquum omne, quodcunque venis, & ventriculo continetur, futurum alimentum. Quoniam autem neque omnia, neque omninò assimilari possunt, sciendum est, quæ omninò assimilantur, alimenta esse: cætera omnia medicamenta vocari. Alio enim in loco ostensum est, duplicem ipsorum naturam esse. nam, vel immota manent, corpusq; vincunt, & mutant, quæ animantis naturam corrumpunt: vel mutationis principium sumunt à corpore, sed putrescunt, ac corrumpuntur, deinde corpus simul corrumpunt, & putrefaciunt: hæcq; venena vocanda sunt. quin etiam tertium genus medicamentorum inuenitur, eorum nimirum, quæ corpus recalfaciunt, nihil tamen mali efficiunt. Est, & quartum genus eorum, quæ agunt aliquid, & patiuntur: sed tandem vincuntur, & perfectè assimilantur: quæ simul, & medicamenta, & alimenta sunt. Cum igitur alimentum tribus dicatur modis, id, quod iam alit, appositumque est, & quod non item futurum sit, alimentum propriè vocat: idque omninò calefacit corpus, quod nutritur: aliorum duorum neutrum id facit: propterea, quod alimenta propria non sunt: sed alterum, vt ipse ait, veluti alimentum: alterum verò tale sit futurum.

D *PRINCIPIVM autem omnium vnum: et finis omnium vnus: et idem finis, et principium.*

Si eam particulam principium esse dicimus, quæ ijs, quæ ex se oriuntur, aut facultatẽ, aut oĩnò materiam suppeditat, profectò hic sermo non parum controuersus est: siquidem, & cerebrum, & cor, & iecur erunt principia: atq; ita multa principia, non vnum. Si verò principium, rerum omniũ materiam continens, quærit, nos id ex Hippocratis sententia esse quatuor elemẽta statuimus, quibus sit à natura tributum, vt mutuò per sese tota misceantur, atq; inuicem agant. Si verò horũ neutrum hic auctor velit, sed fortè de vegetabili principio loquatur, quod sanè vnum est, profectò animal vnum primum omnium habet principium, quod non ex sanguine, sed ex semine arteriam, venam, neruum, os, membranamque fabricatur. Quidam tamen sunt, quibus vnum principium, vnumque finem ab ipso dici placet, quod re vera nihil sine principio fiat: & quod primum factum est, ab aliquo sit factum principio: & finem sit habiturum, quæ est eius, quod ante factum est, dissolutio: quia quicquid factum est, finem est habiturum: nec quicquam in rebus humanis possit excogitari, quod initium quandoque habuerit, quod finem habiturum non sit. Ergo, vt omnia ab vno principio incipiunt, sic in vnum finem desinunt.

In

✲ ✲ E

In alia autem ſignificatione, ſcimus omnem artem appetere finem: ac finem in quaque re vnum eſſe: idq; nihil eſſe aliud, quam id, quod conuenienter illi ſubſtantiæ bonum eſt. Sic medicinæ vnus erit finis, bonam valetudinem conſequi: & vna intentio, bona valetudo. Modi verò eius conſequendi, diuerſi. Quare vtilitas in medicina æſtimanda eſt, partim reputando, vtrum ad efficiendam bonam valetudinem: partim, vtrum ad eandem conſeruandam referatur. ✲

Idem autem & finem & principium dixit, quia omnia in illud idem, ex quo etiam facta ſunt, diſſoluuntur. Ipſe enim in libro de natura hominis ita ſcribit, Rurſus, inquit hominis corpore intereunte, neceſſe eſt, ſingula in ſuam naturam, humidum inquam, in humidum: ſiccum in ſiccum: calidum in calidum: frigidum in frigidum diſcedere. Et non ita multo poſt, omniaque ſimiliter oriuntur, & occidunt. Ex his enim omnibus, quæ prædiximus, ipſorum conſtat natura: deſinitq; eodem modo, cum id in illud ipſum, vnde concretum eſt, abierit. Ibi enim etiam perſpicuè dicit, id diſcedere eo, vnde quicquam concretum eſt. Sed etiam in libro ✲

ET QVAECVNQVE particulatim in alimento bene, et male diſponuntur: ac bene quidem quæ dicta ſunt. male verò, quæ horum contrarium habent ordinem. F

Quæ de alimento dicta ſunt, ea generatim de quouis alimento allata ſunt: vt enim ritè diſponatur, debet probè confici. probè autem diſponetur, ſi appoſitio in primis fiat: deinde agglutinatio: denique aſſimilatio, quod non modò de alimento ſimpliciter intelliges, ſed etiam ſingillatim de eo, quod huic, aut illi corpori adhibeatur: & huic, aut illi corporis particulæ conueniat. Sicut igitur alimentum probè diſtribuitur, ſi quæ prædicta ſunt, fiant: ſic rurſus malè ſuccedit, ſi contrarium ordinem nanciſcatur: ſiquidem effici alimentum non poſſit, niſi quæ prædicta ſunt, omnia conſequantur: ac potius cruditates, difficiles, tardaſque concoctiones, & nutritionis defectiones, & alia errata, ex quibus multa genera morborum oriri conſueuerunt, fore veriſimile eſt.

SVCCI varij, et coloribus, et facultatibus.

Siue ſuccus, ſiue liquor alicuius ſit, humoris nomine comprehenditur. Differentiam verò in commentarijs ad librum de humoribus expoſuimus. Ergo & ſucci humores coloribus, & facultatibus variantur, quales ſint materiæ, ex quibus ipſi fiant. Ijdem ex coloribus dignoſcuntur: ac G candidiores quidem in pituitæ, pallidiores in bilis redundantia apparebunt. Si bilis ſit meracior flauiores videbuntur. Cum enim humores ſe in profundas partes non receperunt, color eſt humorum indicium: ſicut in primo de humoribus oſtenſum eſt. Sic calidiſſimus ſenſus inſuetus calidorum humorum redundantiam ſignificat: frigidiſſimus, frigidorum. Si verò nihil extrinſecus adueniat, veluti frigus, aut calor, aut aliqua animi perturbatio, humores ex coloribus re vera dignoſcẽtur. Ergo ſicut corpus, quod ſe ipſo ſit factum candidius, indicat pituitoſum humorem in ipſo dominari, pallidius verò, aut flauius, bilioſum: ſic ſi ad rubicundius, quam natura ferat, ſit facta conuerſio, ſuperare ſanguinem intelligimus: ſic ſi nigrius, atram bilem. Sic vrinæ affectionem humorum, qui in vaſculis ſunt, ſignificant: ſic ſudores, & alia, quæ in vniuerſo animantis habitu cernuntur, quæ in ipſo habitu ſint, docent: niſi frigus, aut rigor, aut metus, aut vehemẽs triſtitia, aut pudor adſit. Eo enim tempore fit quædam velut humorum reciprocatio: neque attendendus eſt humorum color. Quemadmodum autem ſuccorum colores varij cernuntur, eodem etiam modo varias ipſorum facultates cernere licet. An ſuccum nunc dicit, ſignificans ciborum conuerſionem in ſuccum, quæ in ventriculo efficitur? hoc enim fortaſſe probabilius eſt. Nam & quod cernitur hæc dicta confirmat. Singulæ enim particulæ, à quibus alimentum alteratur, propoſitum quid habent, H & finem quendam, vt quod alteratur, ſibi ipſis aſſimiletur. Si autem animo cogites, aſſumptum ex ventriculo ſuccum, à carne iecoris alterari, paulatim in illius naturam tranſmutari comperies: Ipſeque & craſſior ſe ipſo, & rubicundior fiet neceſſariò prius, quam illi perfectè aſſimiletur. Si verò, aut panem, aut carnem, aut vinum, aut fructus, & alia edulia in ſanguinis, aut pituitæ, aut aliorum humorum naturam verti oporteat, quantam præcedere conuerſionem neceſſe eſt? Hoc autem repentè fieri non poteſt. Nam & hoc oſtenſum eſt, nullam rem poſſe contrarias, vel omninò multum differentes qualitates recipere, niſi per media prius progreſſa ſit. ob eamque cauſam in libris de vſu partium corporis humani indicauimus, magnum venarum plexum à natura in iecore factum eſſe, vt morans in viſcere alimentum, in ſanguinem perfectè mutetur. Si enim, vt in corde, vnum magnum ſinum feciſſet, deinde in illum ſinum per vnam venam ſanguinem induxiſſet, per aliam verò eduxiſſet, nullo tempore, ne breuiſſimo quidem, humor in iecore permanſiſſet is, qui ex ventriculo ſurſum fertur: ſed impetu diſtributionis raptus totum viſcus celeriter permeaſſet. At natura corpori conſulens, vt alimentum illic diu maneat, alterarique perfectè poſſit, tranſitus anguſtos effecit. Hoc autem loco non eſt ignorandum, nõ eandem eſſe formam in humoribus,

cum

A cum animal naturalem ſuum ſtatum ſeruat, ac cum præter naturam affectum eſt: ſiquidem flaua bilis videtur, fitque vitellina, quod vitellis ouorum, tum colore, tum craſſitudine ſit ſimilis. Atra quoque fit deterior, eamq; radentem, aut acidam appellant. Sanguis commutatur, dum cum alijs humoribus multis modis commiſcetur: vt in * * *

Pituita frigida, humidaq; eſt: & veluti quoddam ſemicoctum alimentum. quocirca euacuanda non eſt: ſed debet in corpore manere, atq; alterari. * Haud igitur mirabile eſt, ſi ex varijs naturæ operibus ſucci varij efficiuntur: ſi quidem humores ex alimento alterato fieri oportet.

ET IN noxam, & vtilitatem: & vt neque lædant, neque iuuent.

Tria ſunt capita, in quibus exerceri debet quicunque medicus futurus eſt: primum eſt in diuiſione, compoſitioneque poſitum: alterum in conſequentium, repugnantiumque cognitione verſatur: tertium pertinet ad mutuam rerum mutationem, cum quid maius, quid minus, quid ſimile, quidq; diſſimile ſit, ſpectatur. ad quæ cognitio, quæ eſt de eodem, & altero, adiungenda eſt:
B ſiquidem ita & noxa, & vtilitas facilè cognoſcetur. Verum cum noxæ, & vtilitates noſtris corporibus afferantur non ſolum à ſimplicibus rerum nos attingentium qualitatibus, ſed à tota etiam ſubſtantia: propterea ſciendum eſt, proprietates ex tota rei ſubſtantia prodeuntes, ſiue ſint noſtris corporibus idoneæ, ſiue alienæ, in quadruplici materiæ genere verſari: vt ſint purgantia medicamenta, & alimenta, & quæ venena nominantur, & horum remedia. Cæterum quæ pernicioſis occurrunt, ἀλεξιφάρμακα, hoc eſt venenorum auxilia: quæ ferarum ictibus, theriaca nuncupantur. *

Proinde admirari naturam, velut artificem ſapientiſſimum ſoleo, quæ præter cætera omnia inſtrumenta, linguam animalibus dederit, qua ſimilitudines, & diſſimilitudines rerum diſcernentia, quæ idonea ſunt adſciſcant: quæ aliena, reſpuant. Hæc enim exquiſito ſuo ſenſu calida, & frigida, humidaq; & ſicca diſtinguit, ac quæ acria, quæq; dulcia ſint, quæ item idonea, & aliena, & quæ amara, acerbaq; ſint dignoſcit. Quod ad facilè perficiendum, cum cætera inſtrumenta vnum, aut duos ſortita ſint neruos, in hanc partem ſex inſeruntur.

*

Sicut igitur natura eorum, quæ non alunt, non eſt admodum hominibus idonea: ſic
C eorum, quæ celerrimè alunt, interdum videtur eſſe accommodatiſſima. Cætera omnia inter hæc interiecta ſunt media: & partim magis, partim minus agere, & pati à corporibus noſtris poſſunt. Iam verò vinum, panis, mel, ptiſſana, magis pati, quam agere poſſunt: & tamen aliquid agunt in corpore. Vbi enim duo corpora in idem viciſſim tendentia pugnant multo tempore, certantq; inter ſe de alteratione, vtrunque ipſorum, tum agere, tum pati omninò neceſſe eſt. Si verò ita exiguam in nobis actionem, aut affectionem perpetuò efficiunt, vt nullum ſenſum perſpicuè moueant, eiuſmodi certè erunt deſpicienda: id quod in rebus, quæ alunt, fermè omnibus vſu venit: agunt enim quidpiam in humano corpore, ſed id neque ſentitur, neq; manifeſtum eſt. Si tamen diu, multumq; exhibeantur, magnopere corpora alterant, euidenterque commutant. Sicut nos videmus, lactucam euidenter refrigerare eos, quorum ventriculus æſtuat, & à ſiti vindicare: quorum verò refrigeratus eſt, euidenter lædere. Ex quo fit, vt proſit, & noceat, prout vario tempore adhibetur: & prout corpus poſtulat: & prout humida, aut ſicca, aut frigida, aut calida ſit ventriculi temperatura. Quocirca licet medicis, vti alimentis duobus modis, & tanquam cibis, & tanquam medicamentis. *

Sunt verò etiam alia, quæ mediæ quodammodo temperaturæ ſunt: quæ interdum cal-
D facere, refrigerareq; videbuntur: interdum neq; calefacere, neque refrigerare, ſed talia conſeruare corpora, qualia nacta ſunt: quæ verò talia ſunt, nunquam alimenta fiunt: ſed prout ſunt, ſic etiam medicamenta nominantur. Re tamen vera tota particula ſemper agit conuenienter ei temperaturæ, quæ ipſi ſemper ineſt. Interdum etiam ſuperauit id, quod moleſtum erat, cum illud confecerit, alterarit, atque concoxerit. Vnde etiam fructum tulit. Alio rurſus tempore, aut eius, quod angit, qualitatem, aut copiam non ferens, ad illud excernendum impellitur. Interdum magnopere afflicta expellere, id quod angit, præ imbecillitate non poteſt. Ac tunc noxam perſentit. Multa etiam alia ſunt, quæ ſuaptè natura noſtra corpora, neq; lædunt, neq; iuuant. De quibus. * * *

ET plenitudine, & exceſſu, & defectione, & complicatione: nonnullorum quidem etiam, nonnullorum verò non.

In libro de plenitudine duo eſſe genera plenitudinis dictum eſt: alterum vt ad robur, & vires refertur eius, qui eam fert: alterum vt ad ſuſcipientem capacitatem: & expendimus, quot ſint genera eorum humorũ, qui vires aggrauant, aut qui contineri vaſculis non poſſunt. Expoſuimus etiã ſigna plenitudinis cognoſcendæ, quæ ad vtrunque plenitudinis genus pertinent: & item priuatim ſigna

vtriuſq;tum eius quod ad vires refertur,tum eius,quod continenti capacitate metimur:vt diſtẽdi, E
ac rumpi præ plenitudine,eſt continentium vaſorum affectio:aggrauari, ſenſitricis facultatis. Ex plenitudine autem multi morbi oriuntur. Ac plenitudinis quidem,quæ ſenſitrice facultate ęſtimatur,euidentiſſimũ ſignũ eſt grauitas. Non tamen ſemper fit,vt ſi grauitas aliqua in parte ſit,in eadẽ humorum plenitudo inſit. Eius autem plenitudinis,quæ in arterijs eſt,vtpotè quę ad ipſarum vires refertur, ſigna in libris de pulſibus oſtendimus: vt aliarũ omnium corporis partiũ indicia, in libro de plenitudine,præſertim in illo loco,in quo ſcripſimus,quędam eſſe vtriuſq;plenitudinis ſymptomata:quædam non eſſe abſolutè,ſed huiuſmodi plenitudinis ſigna:quædam nullius prorſus plenitudinis,ſed vel malitiæ humorum, vel corruptelæ,vel imbecillis facultatis, vel tumoris ſolidorum corporum notas eſſe. Quod igitur ipſe nunc ait,alimenta lædere, & plenitudine, & exceſſu,verum eſſe omnes confitentur. Eſtq; conſonum ijs,quæ in aphoriſmis dicuntur,vbi ſcriptum eſt, Vbi alimentum præter naturã plus ingeſtum eſt,hoc morbum facit. Quod enim hic dicit plenitudinẽ,illic plus dixit. Quoniã autẽ vnaquæq;particula alimento ſibi idoneo alitur,ſi in ipſam ingrediatur humor aliquis,qui ſecundũ naturam alteri conueniat,illi verò ſit alienus,& pręter naturam,morbum ille,niſi copioſus ſit,non gignet. Si copioſior ingrediatur,morbũ afferet:quippe cum id,quod morbum gignere debet alimentum,non exigua mole iuſtum modũ,ſed magnopere,& eximiè excedat, F
neceſſe eſt. Quod verò addidit de defectione,quibuſdam medicis non probatur.eis quidem videtur,ex plenitudine multos oriri morbos,at ex defectione,& indigẽtia, nullum. At Hippocrates arbitratur etiam nos ex defectione in morbos incidere. Siquidẽ ex defectionibus interdum refrigeratio,interdum ſiccitas,interdum vtraq;conſequatur. Hæq;vbi ita auctæ ſint,vt actionem iam lædant, multos morbos pariunt: ſicut etiam plenitudo modò tumores præter naturam, modò morbum attonitum,modò ruptiones venarum:niſi quis euacuando præueniat prius,quàm corpus animantis aliquo magno malo afficiatur. Quinetiam Plato de redundantia,ac defectione hoc idẽ cenſuit. Nec erit fortaſſe abſurdum,eius verba adſcribere,quæ ſunt huiuſmodi. Cùm quatuor,inquit, ſint,ex quibus corpus compactum eſt,terra,ignis,aqua,& aer: eorum præter naturã redundantia, „
atq;defectio,& loci ex proprio in alienum facta mutatio,itemq; ignis,& aliorũ,cum partes plus ex „
vno nactæ ſint,nec quod ſibi conuenit,vnaquæq;aſſumpſerit,cæteraq; huiuſmodi omnia: ſeditio- „
nes,& morbos afferunt. Cum igitur ſecundum naturam affecti ſumus,ex his menſura quędam in- „
ter ſe contemperatis, bene valemus. Si verò deſit quidpiam, aut redundet, aut ſit facta in alienam „
ſedem commigratio,ægrotamus. Ac perſpicuum eſt,bonam temperiem redũdantia,defectioneq; „
corrumpi. Et tamen Heraclides Tarentinus ait, ſenem hæc ſcripſiſſe omnia de quantitate eorum, G
quæ offeruntur: vt noſcamus, vtrum multum,an parum dandum ſit. Habendamq; eſſe rationem „
morborum,& virium ægrotantis hominis:præterea verò etiam ætatis, anni temporis,conſuetudinis,& aliorum,quæ his proportione reſpõdent: nam ſi,inquit,vires ægroti debiles ſint, & affectio, qua corpus conflictatur,ſit,aut ex corruptela, aut ex indigentia, parum quidem alimenti,ſed ſæpe dandum eſt. Cauſa eſt,quia malum multa expetit. Parum verò dandum,quia imbecillę vires ſunt. Scitum enim eſt,ab indigentia poſtulari additionem. At ſi neque indigentia,neq;corruptela adſit, ſit autem iuſtus modus ſecundum naturam humorum,vel etiam plenitudo, tum rarò,& pauca offeremus. At ſi vires validæ ſint cum indigentia,corruptelaq; coniunctæ, tunc hominibus ita affectis, & multa, & ſæpe danda erunt. Hæc ab illo verè quidem dicta, ſed non accommodatè, fatemur. Deceptus enim ſententia aphoriſmi, cuius initium eſt, Et quibus ſemel, aut bis, & quibus plura,&c. In quem, ſicut in alios omnes, eius extat explanatio, exiſtimauit, auctorem nunc de eadem re verba facere: de qua Hippocrates in aphoriſmis conſcripſit: ob eamque cauſam, addita eſſe hæc verba arbitratur,ac nonnullorum quidem etiam, nonnullorum autem non: quod verum non eſt: ſicut neque illud, quod de ✲ ✲ ✲ ✲

H

ET OMNIVM ad caliditatem lædunt, & iuuant: ad frigiditatem lædunt, & iuuant: ad facultatem lædunt, & iuuant.

Tria ſunt dandi alimenti capita,quantitas ciborum, qualitas,& vtendi modus. Nos autẽ vnam communem alimenti offerendi, & in bene valentibus, & in ægrotantibus intentionem eſſe docuimus,vitalis facultatis cuſtodiam. Huius enim facultatis ope ſani edimus, bibimus,cæteraq;omnia vitæ munia exercemus:propter hanc eandem etiam ægroti ad cibũ,potumq;progredimur: nam vt morbus auxilia ſuæ affectionis indicat,vt ſanguinis miſſionem,aut purgationem,aut aliquid aliud huiuſmodi:ſic facultatis cuſtodia alimentũ ſolum indicat. Quia verò alimentum ſæpe lędit,vtpotè quod non ſit datum in tempore,ideò morbi affectionem, tanquam dari alimentum prohibeat,expendimus. Cumq;affectio non prohibeat,iubeat verò facultas,tum alimus: ac tantum abeſt,vt alimentum vllo modo noceat, vt etiam potius iuuet. Vt enim animal duret, indigens eſt non modò alimenti, ſed etiam aeris: nosq; vtriuſque vſum nouimus: ſiquidem reſpiratio natiui caloris ſymmetriam conſeruat: ciborum verò oblatio id,quod de corporea ſubſtantia defluit,reſarcit: quod ſi innatus calor, cui corporea opera Hippocrates præcipuè accepta refert, non accuratè conſeruetur,

non

A non modò non potest priores actiones obire,neq;nos alere, quod eius erat præcipuum munus,vel maximè,sed corpus corrumpit,ac liquefacit. Iuuat igitur,& nocet alimentũ,cum in calorem,& frigus moderatum,aut immoderatum conuertitur. Et tamen calor innatus in iecore cõtinetur, cuius ope sanguis gignitur. Maior verò est alius calor in corde,qui ad iram excitandam est animantibus tributus. Qui non secus indiget alimento,quam ille alter respiratione. In animantibus autem cibi, qui vt assimilentur,& corpus alant, spatio temporis egent, hi frigus vniuersi potius quàm calorem in præsenti afferre videntur. Calfaciunt autem hi quoq; progressu temporis sicut alia edulia,si solum vt corpus alant,consequantur. Omne enim alimentum,suaptè ratione calorem animantis auget. Quocirca adhibenda maximè mens est ijs omnibus, quæ potestate calida, aut frigida esse dicuntur, sint ne ex natura eorum, quibus ali corpus possit, an solum occasionem alterationis nanciscantur,deinde conueniẽter,propria natura alterata,corpus quodam modo afficiant. Et an ab eodẽ nullo modo vlla in re alterentur. Si enim sint ex genere nutrientium,siquidẽ vincantur,calfaciunt: si non vincantur,refrigerant. Sin ex ijs sint,quæ parũ quid alterantur,omninò calfaciunt. Si deniq; ex ijs,quæ nihil omninò alterantur,maximè refrigerant. Quemadmodum autem calor,& sanguis alimento augetur, sic sanguis ciborum inopia arescit, & se ipso fit crassior. Addit autem & noxam
B & vtilitatem in facultatem. Est igitur hoc diligenter animaduertendum, vt noscamus, facultatis vnam semper indicationem,sui ipsius nimirum custodiam. Ea autem prẽcipua ratione custoditur, id,quod è sua substantia vacuatur,aut alteratur,corrigendo. Secundo verò loco,cohibendo ea,quę ipsius euacuare, aut alterare substantiam possunt. Quæ cum ita sint, in benę valentibus consensus omnium eorum, quæ agenda sunt,eò pertinet,vt ipsa perennis sit: in ægrotantibus verò,non semper. Maxima autem est virium dignitas:siquidem vita in nobis ex harum custodia existit. Facultas ergo prima omnium est hominibus conseruanda, vt neque eius substantia euacuetur: neque tanta alteratione immutetur,vt corruptelæ propinqua sit. Huius autem custodiæ partem esse dicimus,cũ vel aptam temperiem præsentem seruamus, vel absentem inducimus. Quocirca ad facultatem custodiendam cauendum est,ne plura offeras,neve pauciora. Si enim plura,quàm par est,des,crudi-tatis causam afferes, præter quam quòd etiam corpus prægrauabis: sicut rursum omninò non nutrire, & stomachi fastidia creat,& eundem lædit, & vires labefactat, & malos succos adauget.

POTENTIAE autem variæ naturæ.

Potentiam omnem ex potestate efficiendi id,cuius habet potestatẽ,nominare solemus. Alicuius
C enim potentia est,eiusq;notionem consequimur ex eo,quod ad aliquid refertur. Proinde sic ipsam appellamus,cum essentiam ignoramus. Cum verò,aut robur, aut virtutem potentiæ dicimus, aut etiam infirmitatem, & vitium, tunc nomen intelligendum est, vt ad actionem refertur. Potentiæ igitur, quæ in corporibus animantium sunt ad suum opus peragendum, accommodatis egent instrumentis: & vt fabri,qui in vrbibus vitam degunt,quibusdam instrumentis vtuntur, quibus sua opera absoluunt:sic potentiæ. Cum autem in nobis tres potentię sint,animalis,vitalis,& naturalis, quæ animal gubernant, sintque diuersi inter se generis: vnaquæq; veluti ex suo quodam fonte toti est corpori distributa. Earum vna ad alendum animal necessaria est, ac communis cum stirpibus, & veluti fontem iecur habet: riuulos verò ab hoc in totum corpus dispersos, venas. Hanc,vel appetitricem,vel naturalem,vel altricem vocare licet. Altera est, quæ non modò in nobis, vt stirpibus,aut viuentibus,sed etiam,vt animalibus anima inest,quæ sedem habet in corde: estq; veluti innati caloris fons quidam. Huius fontis riuuli sunt arteriæ. Cæterum multis nominibus appellatur: nam & potentia vitalis, & facultas,quæ irascitur, & anima irarum æstu fluctuans, nominatur. Tertia sita in cerebro est anima particeps rationis: quæ voluntarijs actionibus vnà cum sensibus
D præsidet. Hæc vtitur ipsa quoque particulis quibusdam ceu riuulis, hoc est neruis, per quos sensum,& motum in totum animal transmittit. Ideò ipse varias esse potentiæ naturas dixit,vt quæ in varijs corporis particulis consistant, & ex varijs veluti fontibus emanent. Heraclides autem censet,nos hæc de naturalibus facultatibus accipere debere. Quod non absurdum existimo. Rebatur enim ex Hippocratis sententia,naturam præditam esse potentijs,vt trahendi ea,quæ apta sunt: excernendi quæ sunt aliena: itemq; alterandi,& quarto loco retinendi. Quod sanè verum est:& nos in vnoquoque instrumento esse demonstrauimus.

SVCCI corrumpentis & totum, & partes, & foris, & intus.

Duobus modis corruptela dicitur,tum ea,quæ fit, tum ea, quæ facta est. Res autẽ quatuor modis corrumpi solent:qp etiam ipsarum essentiæ elementa sint quatuor: vt quædam propter siccitatẽ, quædam propter nimium calorem,aut frigus,aut humorem corrumpantur. Cuiusq;autem natura corrumpitur,cum calefit,aut frigefit,aut siccatur, aut humectatur: potissimum autem dum calefit, aut frigefit: quippe cum hæ qualitates sint efficacissimæ. Sed etiam cum siccatur, humectatur: vt etiam esuriendo,& sitiendo,dum hic humida,illic sicca substãtia deest. Itaq;si sanguis sit biliosior, facilius excalfit. Siq;in particula contineatur,quę inflammatione tentetur,sitq;admodum calidus,

& in toto corpore ſit bilioſus, multo magis excalfit, ac deinceps corrũpitur. Scimus enim quicquid E
facilè alteratur, aut natura calidum eſt, id à quauis re calefaciente excalfieri, atq; ita primũ corrũpi: ſicut quicquid facilè eſt ad alterãdum, & natura frigidum, id à quauis re refrigerante primũ refrigerari, atq; corrumpi, ſiue vniuersè, ſiue particulatim. facilè porrò alterantur, quæ tenuiorum ſunt partium. Proinde ſpiritus eſt ad alterandum facilis. Ac bilis flaua eſt natura calidiſſima: pituita, frigidiſſima. Poſt flauam bilim calidus eſt ſanguis: vt poſt pituitam frigida eſt atra bilis. Etenim flaua bilis à quouis in ipſam agente alteratur. Atra, ægrè: atq;, vt vno verbo dicam, quicquid è tenuibus conſtat partibus, facilè ad alterandum eſt: quicquid è craſſis, difficile: deinceps difficile ad corrumpendum. Corporis autem noſtri ſunt duo genera corruptelæ. Quædam enim corruptelæ ſunt neceſſariæ, & innatæ, & tanquam ex ortus noſtri principijs, vt ex ſanguine, ſemineq; profectæ: quædã ex nobis ipſis oriuntur. Primum genus ex ſiccitate fit, ac ſenectus appellatur: eſtq; hæc omni genito corpori innata corruptelæ neceſſitas. Altera, quæ in animantibus ineſt maximè, totius ſubſtantiæ fluor eſt, qui ab innato calore efficitur. Cum enim fluat omnium animantium moles, niſi alia ſimilis ſubſtantia pro ea, quæ defluit, introducatur, vniuerſum corpus ita corrumpetur. Ergo quicquid ſiccioris ſubſtantiæ effluxit, cibo reſtituimus: quicquid verò humidioris, potione. ita aereæ, igneæque eſſentiæ modum reſpirationibus, pulſuque arteriarum conſeruamus. Siquidem non eodem modo vniuerſum corpus à calidis, aut frigidis afficitur. ob eamque cauſam quædam animantes aptos ſibi ipſis humores habent: quædam non modò aptos, ſed etiam, qui perniciem afferant. Cæterum omnia aluntur ſimilibus: tolluntur autem, & corrumpuntur à contrarijs. Nihil tamen ex ſe ipſo, vt ex proprio calore corrumpitur. Contra verò omnia augentur, roborantur, & bene valent, & vitam ducunt. At ſi quid præter naturam corporibus accidat, primum humores propter humiditatem corrumpit: temporis verò progreſſu id pinguedinem, & carnem attingit. Quam ob rem videmus ſæpenumero ſanguinem bilioſum redditum corruptela quadam abſurda vſque adeò, vt totus corporis color porri colorem imitetur. Quin etiam ſine mortiferis medicamentis cernitur corpus ad humorum corruptelam peruenire, quæ ſimilis eſt ei, quam venena afferunt. Quandoque etiam color propter humorum conuerſionem immutatur, vt totum corpus arquatum ſit: interdum plumbi colorem referat: interdum ſit magis fuſcum, interdum nigrius: interdum verò etiam magis vergat ad ✻

Quod mirabile non eſt. Perſpicuum enim eſt, putredinem ab alieno calore proficiſci, vt G
dictum eſt. Alienum calorem voco eũ, qui foris aduenit, & neq; eſt innatus, neq; vnicuiq; rei aptus: ſiquidem innato eſt à natura tributum, vt concoquat, alieno, vt corrumpat. Calor enim extrinſecus ſanguini aduenit, & in ſolis exuſtionibus, & in peſtilenti ſtatu. Sed & quando in aliqua parte corporis maior copia ſanguinis coaceruata ſit, & eius vires ſuperet, corrumpitur, quemadmodum in tumoribus inguinum, & orientibus tuberculis, quæ φύματα dicuntur, & inflammationibus, cum in paruis vaſculis propter craſſitudinem obſtruitur, aut propter craſſitudinem impingitur. Quo ſanè tempore ſanguis duplici de cauſa corrumpitur, & quia non diffiatur, & quia à natura non vincitur. ✻

Omninò mutatur, & commutatio in humorem melancholicum fit. ✻
& ex humorum formis. Deque his dicta ſunt, quæ dici par erat *in libris* de
✻ ſanguinis mutatione ✻

Conandum eſt de eis diſſerere, ita tamen, vt neque hoc loco *longiores* ſimus, neque veteribus contradicamus, qui ſummopere errauerunt, præter Ariſtotelem, qui cum cæteri H
fermè omnes hallucinati ſint, rectè dixiſſe mihi videtur. ✻

Omnes tamen concedunt, à ſuo, aut alieno calore id effici. Non tamen pari modo. Sed Empedocles ✻

Ijs enim, qui ſic affecti ſunt, perniciem inſtare: ſiquidem eiuſmodi affectus & alimenti indigentiam, & humorum corruptelam indicant: quod quidem non ſemper vſu venit.
✻
Illis tamen, vtpotè qui multa abſurda in ijs, quæ ad medicinam pertinent, dixerint, hoc iam concedendum eſt, quòd neque medici ſint, neque longo vſu exercitati: ſed quòd Philoſophi eſſent, & rerum cauſas perueſtigarent. ✻ ✻

QVI SPONTE, & non ſpontè, ac nobis ſpontè, cauſæ, non ſpontè.

Spontè fieri interdum dicuntur, non quæ ſine cauſa, ſed quæ ſine cauſa à nobis proficiſcente fiunt.

A fiunt. Cum enim medicamentũ bili ducendæ aptum damus,ac bilis euacuatur,non iam id ſpontè fieri,dicendũ eſt. Interdum etiã dicitur ſpontè fieri,quod ſine externa cauſa fit. Interdũ verò quod velut repentè,nullo caſu præcedente. Nunc verò præſtiterit accipere ſpontè fieri, vt ſit ſine cauſa, quæ à nobis proficiſcatur: vt noſcamus,humores à natura bonos effici,aut ſpontè,aut ſecus. quam rem debet medicus imitari.id quod planè perſpicuũ eſt. Addit enim,nobis ſpontè,hoc eſt ſecundũ naturam,& à natura facti:cauſæ verò non ſpontè,quia cum alia cauſa ſubeſt,non ſunt ſpõtè ſua. In hanc ſententiam ipſe dixit hæc,quos diuturnus alui fluor vexauit, ei vomitus ſpontè ſuperueniens, morbum ſoluit. Et alio in loco, quicunque ſpontè ſanguinem mingunt. Quin etiam euacuationes è corpore fieri ſpontè dicimus,quæcunque fiunt, cum nos nihil molimur. Quod ſolet contingere, cum natura corpus gubernans expurgat ea,quę ſua ſpontè feruntur,interdum irritata,aut quòd illa à vaſculis non cohibeantur. Quo ſanè tẽpore aduertere medicus debet,an proſint,an ve noceant. Hoc eſt,vtrum,vt ipſe ait,qualia purgari oportet, purgentur. Siquidem tunc corpora iuuantur, & natura id euacuat,quod ſuperuacaneum eſt. Cum verò ſymptomatis ratione fit aliquid,neque vlla conſequitur vtilitas,eiuſmodi euacuatio eſt malæ conſtitutionis animantis indicium.

B *CAVSAE rurſus aliæ manifeſtæ, aliæ abditæ, & aliæ validæ, aliæ inualidæ.*

Fructus eius quæſtionis,quæ eſt,de ijs,quæ animantibus accidũt,eſt, vt qui cauſas intemperierum norit,eas ad naturalem ſtatum reducat. quomodo autẽ noſcet,curabitq; morbo is,qui, & qui & quales,& quanti ſint ignorauit? Nos autem vt multa eſſe genera cauſarum concedamus, quaſdam in præſentia afferemus: primum quidem,& præcipuè illam, propter quam fit aliquid: ſecundo loco,à qua fit: tertio,ex quo: quarto, per quod: quinto, quale fit. Eorum enim,quæ præter naturam ſunt, tria ſunt vniuerſa genera: vnum, affectiones, quæ actionem lædunt: alterum, earum cauſæ: tertium, ſymptomata. Cauſæ autem, cum agunt, hoc potiſſimum vocabulo gaudent. Sed ſæpe etiam ſic vocantur, licet nondum quicquam agant, ſed quod ſolum poſſint: veluti cruditates morborum cauſæ dicuntur, quamuis nemo adhuc ægrotet. Quocirca cauſarum alia eſt procatarctica,alia continens,alia antecedens:vt procatarctica ſit,quæ opere perfectò,ſeparatur. Cõtinens, quæ præſens morbum præſentem conſeruat: ſublata,tollit. Antecedens cauſa eſt,quæ à procatarctica quodam modo fit,qua prę ſente effectus ipſe adeſt:& illa adaucta,adaugetur:& diminuta,diminuitur:ſublata,tollitur. Multa quoq; alia genera cauſarum inueniũtur,vt per ſe finiens, concau-
C ſa,& cauſa adiuuans,ſicut etiam ſunt,& manifeſtæ,& obſcuræ. Volũt autem cauſam per ſe finientem eſſe,quæ ipſa per ſe finem afferat: Concauſam verò, quæ ſuaptè vi opus efficere non poſſit, cũ alia coniuncta poſſit: cauſam adiuuantem eſſe,quæ efficiat illa quidem opus,ſed ægrè. Proinde aliquid ab ipſa aſſumi ad id,quod vult,facilius efficiendum. Cauſæ autem manifeſtæ appellãtur,quę ipſæ ex ſe,cum agunt, & faciunt quid, in ſenſum cadunt. Non manifeſtæ verò, quæ non ex ſe, ſed medijs intercedentibus percipiuntur. Sicut abditæ vocantur,quæ neque ex ſe ipſis, neque ex alijs ſentiuntur. Eæq; aut ſemper abditæ ſunt,aut ad tempus:quas eſſe dicimus,quæ aliquando abſunt, rurſus verò cadere ſub ſenſum poſſunt: ſicut in libro de cauſis procatarcticis oſtenſum eſt. Cauſarum habenda omninò cognitio eſt, ſiquidem nihil ſine cauſa efficitur. Hæcque eſt communis ferè omnium philoſophorum conſenſio. Non tamen conãdum eſt,rerum omnium afferre cauſam: primum quia ad rerum notiones,atque vſus hoc non eſt ſæpe neceſſarium: deinde quia multa ſunt in rerum natura,quæ ſuaptè natura quibuſdam principijs ſimilia ſunt,vt cauſæ rationem non admittant. Præterea nonnunquam falluntur,cum incognita,& quæ cauſæ non ſunt,ſumentes, ſe cauſam afferre arbitrantur. Non eſt igitur attendendus ſermo eorum, qui rerum omnium cauſam putant eſſe afferendam. Tunc enim quærenda rerum cauſa eſt, cum id, quod de ipſis dicitur, aut notius,
D aut credibilius eſt futurũ. Hoc tamen ſemper ſeruandum cenſemus ab ijs, qui veritatis ſtudio ducuntur,nihil vt occultent eorum,quæ euidenter apparent:etiam ſi cauſę rationem maximè controuerſam habeant. Quam ob rem cum in alijs rebus omnibus Hippocrates ornandus eſt laudibus, tum vel maximè in his,de quibus nunc diſſerimus. Cenſet enim vſq; eo progredi medicum oportere, quouſque peruenire ipſius ars poteſt: vt ſæpenumero ad probabilitatem vſque perueniat: & res,quòd inter ſe natura ſunt ſimiles,& ob id minus aduertuntur,oſtendat: deinde eis nomina imponat,potiſſimum verò ſi poſſit,quæ ſint vſitatiſſima: ſin hæc ignoret, apta fingat. Ante omnia verò,ſingulis rebus ſingula nomina imponat, ne in ſermone ex homonymia obſcuritas oriatur,neve res vlla omittatur. Cum verò hæc ita ſe habeant, ſeries quædam cauſarum ſe deinceps excipientium, ſæpe exiſtit. Sed in eiuſmodi niſi quis diſtinguat eam, quæ per ſe facit, ab ea, quæ ex accidenti dicitur, plurimi, abſurdiſſimiq́ue errores in diſputationibus orientur. Significat autem per ſe idem, quod primum: ex accidenti,idem quod ſecundo loco. Quemadmodum morbus eſt quædam præter naturam affectio, quæ actionem lædit. Accidit autem, vt alia affectio, quæ ipſa quoque præter naturam eſt, morbum præcedat. Hæc tamen non ſui ratione lædit actionem,ſed morbo intercedente,hanc autem affectionem non morbum,ſed cauſam,quæ morbum prę cedit,appellabis:cum neque per ſe,neque primum,ſed ex accidenti,& ſecundo loco lędit actio. Atq; ita non

iam quicquid præter naturam sit in corpore, morbus statim erit appellandus: sed id denique quod E
primo actionem lædit. Quod verò hunc antecedit, causa nominanda est. Cause igitur ratione quædam manifesta, quædam abdita sunt. Quædam fieri possunt, quædam non possunt: vt quædam à tali causa fieri possint, quædam non possint: id quod pro potestate causæ, & prout apta sit res, quæ facienda sit, accipiendum est.

NATVRA sufficit omnia omnibus.

Omnes ferè & Peripatetici, & qui Hippocratem auctorem habent, naturam, vt artificem ornãt laudibus. Erasistrati verò studiosi non id perpetuò confitẽtur. Illum quidem Principem admirantur, vt Deum, & omnibus in rebus verum esse existimãt. Quod si ita sit, profectò multum à veritate aberrauisse Philosophos Peripateticos putandum est, quibus nihil placet eorum, quæ Erasistratus censuit. Verum si Peripatetici rectè in naturę contemplatione sunt versati, vt perspicuum omnibus est, nihil erit Erasistrato magis ridiculum. Is enim ait, Peripateticos nihil de natura rectè statuisse. Quod ita falsum est, vt si quis in Aristotelis, ac Theophrasti libris sit versatus, is ceu cõmentarios Physiologiæ Hippocratis illos conscriptos esse, sit arbitraturus. Etenim calida, frigida, humida & F
sicca agere inter se, & pati princeps Hippocrates, secũdus Aristoteles rectè affirmauit: nutriri quoque per se tota, quæ nutriũtur: & quæ miscẽtur: omnia, per se tota misceri. Pari modo quæ alterantur, per se tota alterari. Sicut illud quoq;, concoctionẽ alterationẽ quandam esse & mutationẽ eius quod alit, in propriam eius, quod alitur, qualitatem. Tum quæ de gignendo sanguine, ac nutritione, deq; incremento habentur, & item alia multa decreta ad ortum, & interitum animantium, & ad bonam valetudinem, morbumq; pertinentia, sunt Hippocratica simul, & Aristotelica. Ex tot, talibusq; sententijs vna sola reperitur, de qua Erasistratus cum illis viris consentiat: hoc est Naturam alicuius rei causa facere omnia, ac nihil frustra. Idq; interdum quidem ait Erasistratus non tamen idem tuetur: sed plus millies euertit: siquidẽ de Erasistrati sententia lien sine causa factus est: sic omentum, sic alia sexcenta. Quam ob rem licet intueri, sermones ab illis mandatos literis, neq; falsos esse, neq; parum concludentes, cum interim Erasistrati libri talium plenissimi comperiantur. Ridiculum autem est, cum optimè exædificatam nauim, aut domum, aut lecticam videas, licet artificem ignores, eam sine arte, & temerè, & fortuna factam existimare: cum interim artem rarò à fine sibi proposito aberrare: fortunam rarò eundem consequi, omnes statuant. Si etiam absurdũ est, inutilem, & non artificem putare causam fabricæ corporis nostri, si modò similitudinem iudicij in G
artificibus, qui cernuntur, cum ijs, qui non videntur, seruare velimus. Hoc autem si quis ipse per se in animali velit expendere, is mihi Asclepiadis, & aliorum multorũ temeritatẽ videtur magnopere damnaturus. Si verò causam discat, cur nihil frustra factum sit, & omnia in corpore ad vsum vergant, vel ex eo naturæ in animalibus, & prouidentiam, & artem credet. Quare Hippocrates, vt qui primus naturæ opera norit, hanc admiratur, & perpetuò prędicat: vt & iustam nominet, & solã animalibus ad omnia sufficere dicat: & ipsam ex se sine doctore, quæ opus sunt, efficere. Si verò naturæ prouidentiam, ac sapientiam quispiam velit accuratè cognoscere, id poterit percipere, si in dissectionibus spectet, & consideret, iustè ne, an secus suas portiones omnibus partibus distribuerit: sed alijs maiores, alijs minores, sit impertita: quãtæ nimirum satis erant, æstimata accuratè cuiusq; dignitate, alij maiorem, alij minorem portionem tribuit: vnicuiq; verò tantã dedit, quantam tribui erat æquissimum. Sic Hippocrates vocat medicum naturæ administrum, eum inquam, qui revera medicus sit, non pharmacopolam quendam de triuio. Hic enim tãtum abest, vt meritò naturæ administer appelletur, vt potius inimicus & aduersarius naturę, atq; ægrotantium nuncupari iure debeat. Perinde enim par est efficere medicum, vt naturam semper facere intuemur. Ipsa enim innumerabiles machinationes conseruãdorum corporum causa adinuenit, cũ quasdam partes circum- H
uestierit, ac clauserit, nequid exterius exuperet: quasdã perforarit, & dilatarit, canalesq; induxerit, quibus modò alimentum, modò refrigerationem, spiritumq; traherent: simul etiam excremẽta per alios crassa, per alios tenuia extruserit. Omnem profectò de vsu partium scriptionẽ huc imprudens transferam, si omnia naturæ opera deinceps recẽseam. Haud igitur mirabile est, si ait, Naturã omninò sufficere. naturæ enim, vt ipse quodam in loco scribit, sunt morborum medicæ: propterea q; si natura ad animantis salutem molitur omnia, consentaneum etiam est, ab ipsa principe morbos curari, aut dum copiosum sudorem effundit, aut per vrinam, aut per aluum, aut per vomitum humores noxios excernit. Id autẽ sæpe fieri cernitur ab ea patientia, quæ in corporibus inest, quæ ab ipsa gubernantur: quam Hippocrates natura appellare consueuit. Hanc quidem & indoctam & nõ didicisse ait, sed tamen efficere, quæ oporteat: siquidem ipsa sine magistro nouit, motus voluntarios ab omnibus effici animantibus. Hęc autem effici, nos euidenter cernimus: quomodo autẽ fiant, hoc verò humanũ ingeniũ superat: nec magis quicquam, quàm admirari, possumus intelligere. Ac natura omni tempore in animali admirabilia commẽta machinatur. Etenim neminem præterit, quo tẽpore prægnans fœmina est, quomodo os vteri constrictũ accuratè, conglutinatũq; sit: sicut nemo etiam ignorat, quantum prouidentiæ adhibuerit, vt fœtus ad collum vteri, qua cõuenit figura perueniret:

A ueniret; & cum ipſum peruaderet,nullam partem ſauciaret, aut læderet. Iam verò facultates, quæ in fętu iam ſunt,adeò adauget,vt non ſolū alatur,ſed etiam ſapiat,intelligat, & omnia ferè dignoſcat,atq;agat:quod eſt naturæ non modò ſapientiæ,ſed etiam poteſtatis argumentum. Sed hoc nō eſt ſatis. Nam quod omnium eſt maximè admirabile,ipſa effecit, nimirum ipſa à nemine docta,& quæ non didicit,animans, quod naſcitur,omnium partium actiones docuit: ſiquidem non modò os ſtomachum, & ventriculum alimenti inſtrumenta præparauit, ſed ſtatim docuit animal, quomodo eis vteretur: facultatem quandam ſapientiæ ipſam à ſeſe doctam animali ingenerans: cuius impulſu ſingula animalia ad actionem ducuntur, & alimentum ſibi accommodatum exigunt, & cætera omnia deinceps faciunt, de quibus diſſerere, eſt alterius diſputationis.

IN HANC verò extrinſecus,cataplaſma,linimentum,inunctio,nuditas totius,ac partis,calor,& frigus eadem ratione, adſtrictio,vlceratio,morſus, & res pinguefaciens.

Cum præſagium non exigua ſit medicinæ pars,maximèq;vtilis cenſeatur,docet hoc loco ſenex, quot modis medici in præſagiendi ratione delinquant. Præter enim quam q̄ multæ à natura cauſę
B afferuntur,quæ faciunt,vt præſagium,prædictioq;ſępe varientur:profectò multa etiam medicorū peccata,& ęgrorū errata in naturā,omnia plerunq;rectè gubernantem,licet intueri. Etenim quidā ſunt,qui ne ſe medicos quidem arbitrātur,niſi quiſq;ipſorum ad ægrotum ingreſſus, ſe ſuccingat, deinde vel cataplaſma imponat,vel perfundat,vel clyſterem indat,vel venam incidat,vel cucurbitulas admoueat,vel fricet,vel tale quidpiam faciat. Ac ſi quid horum ab ipſo prætermiſſum ſit, nihil ex arte factum videatur. Hippocrates autē nobis indicat,quoties huiuſmodi homines ad ægrotum accedunt,hęcq;non in tempore faciunt,toties errare. Quomodo igitur poſſunt,aut præſagire, aut verum prædicere,cum tanta errata,& quæ naturæ,vt ita dicam,repugnent,intercedant? quam ob rem qui vult medicinam facere, debet facere,quæ oportet, & ſuperuacanea,importuna, & noxia omittere. Deinde verò etiam ægrotus in rebus omnibus ſit facilis ad parendum: neq;quicquā per intemperantiam delinquat. Denique qui aſſident,nihil peccent,vt neq; iracundiam ægro concitent,cum aliqua in re peccant: aut dolorem afferant, cum quid importunè nunciant: aut damno afficiant,cum quid diminutè præparant. Si autem neque medicus,neque ægrotus,neq; quiſquam eorum,qui eidem aſſident,delinquat,neq;quicquam errati committatur in ijs,quę extrinſecus adueniunt,verum erit præſagium,veraq;prædictio:& naturæ nullum impedimētum afferetur. Cum
C autem erratum aliquod commiſſum ſit quantum id ſit,expendēdum erit. Maximè autem in victus ratione inſtituenda artificem eſſe oportet. Hic enim ſolus errorum vim diſquirit, & pernoſcit: & ſolus noxæ magnitudinem habere perſpectam poteſt. Scimus enim,morbos, qui prorſus periculo vacant, propter errata fieri diuturnos conſueuiſſe. Qui verò incolumitatem pollicentur, non tamen ſine periculoſis ſymptomatibus, eos effici lethales. Quinetiam ij,à quibus periculum omninò abeſt,multis,magnisq;erroribus deinceps commiſſis,in lethalium naturam incidunt. Ac nihil mirabile eſt,cum etiam in bene valentibus magna errata morborum mortiferorum cauſæ ſint. Oportet igitur medicum ſtudiosè dare operam,vt & præſagiat,& curet,& noxæ magnitudinem accuratè pernoſcat. Ita enim ſiquid foris incidet, aut ægrotus peccabit, aut aſſiſtentes non facient, quæ oportebit, ipſe illa corriget,ſi poterit: & prædictionem mutabit. Et initio ipſe non errabit, neque cataplaſmata ſuperdando,neque liniendo,neque inungendo,neq; in particulis corporis denudandis,neque in ijſdem calefaciendis, aut refrigerandis tempore minimè opportuno: neq; in conſtrictionibus,neque vlcerationibus,neque morſibus, neque rebus pinguefacientibus adhibendis, neque in alijs rebus, quarum ipſe mentionem facit, adminiſtrandis.

D *INTVS verò, & quædam prædictorum, & præter ea, cauſa abdita, & toti, & parti, & alicui, & non alicui.*

Quemadmodum errata foris committuntur ijs in rebus,quarum antè facta mentio eſt:ſic intus ſæpe accidit propter cauſam,quæ manifeſta non eſt,idq; & in toto corpore,& in parte,& in ſingulis,& non item: ſicut in talibus,& non talibus temperaturis. Interdū enim humor,qui computruit, vel qui ſit, quam par eſt, copioſior, & incoctus, aut etiam omnium humorum redundantia morbi cauſam affert:interdum idem facit immodica,intempeſtiuaq;euacuatio:ſicut etiam ſolent efficere, quæ poſt euacuationem relicta ſunt, vt ipſe ait,ſi ex effluentibus aliquid relinquitur: atque id, vel in humore, qui morbum gignit, vel in affectione morboſa intelligendum eſt.

EXCRETIONES ſecundum naturam ventris, vrinarum, ſudoris, ſputi, muci,vteri,per hæmorrhoidas,thymion,lepram,tuberculum, cancrum, è naribus, ex pulmone,ex ventre,ex ſede,ex cole, ſecundum naturam, & præter naturam. Horum diſcrimina alijs alia ratione, alibi, & aliter.

Oſtenſum eſt,in vnoquoq;inſtrumento quatuor eſſe naturales facultates. Cum autem vnaquæque particula animalis humorem, qui ei conueniens eſt,in ſe traxit, hæcque fermè eſt naturalium

facultatum prima: deinceps ſciendũ eſt,particulam non prius id alimẽtum,quod attraxit,excerne- E
re,quàm vel ipſum inſtrumentũ,vel pars maxima eorũ,quæ illo continẽtur,in contrariã affectionẽ tranſierit. Poſtquã igitur particulæ ſint abũdè expletæ cibis,tũ quod reliquũ eſt,tanquã onus alienum abijciant. Sic enim facit venter,ſic veſſicæ,vbi quoduis eorũ,quæ attraxerũt,vel multitudine diſtendat,vel qualitate mordeat,moleſtumq;reddatur. Eodemq;modo vterus. Idcirco interdum abortus fit,quia diſtentus properat quod moleſtũ eſt,abijcere.Quod etiam fit cũ humoris in ſe effuſi qualitate mordetur. Interdũ etiã fœtus editur,& vt decet, in lucẽ ,pfertur. Eſt enim offenſionis triplex cauſa,aut nimia moles,aut aliquod pondus,aut morſus. Molem intelligo,cũ vterus nõ fert, vt amplius diſtendatur:onus,cũ,id quod continetur,ſupra ipſius vires ſit:morſus,cum ea,quę alijs in partibus prius continebantur,illis diſruptis,in vterũ ſint effuſa. At in vẽtriculo morſus ſunt euidentes propter plurimũ ipſius ſenſum,ſicut etiã in vtero,& veſſica lotium excipiẽte. Quare neceſſe eſt vnamquãq;particulã,aut multitudine oppreſſam,aut propter qualitatem in mordacẽ, acremq; mutatam,deſiderare expulſionem. Ex quo fit,vt excretiones,& ſecundũ naturam,& præter naturã fiant,vt alui,ſudoris,ſputi,lotij,muci,& aliarum rerũ multarum. Sed cum ſimul euenit,vt facultas attrahendi humoris,& facultas alterandi totum,quod attractũ eſt,conficere nõ poſſit,ideoq; multa gignantur excrementa:facultas autem expellens eo tempore deterius, & imbecillius, quã prius, F
moueatur: neceſſe eſt ita magnam excrementorum vim in carnibus cõſiſtere. Atq;interim pro excrementi ſpecie,& multitudine aliàs aliam fieri carnem modò tumidam,modò flatus plenam,modò,vt in hydropibus eſt. Interdum verò etiam præter naturam excretio fit,vel,vt dictum eſt, propter aliquam facultatis noxam,vel irritationem importunam, vel vitioſum motum,à quo facultas excitatur: aut propter ora venarum adaperta,aut propter inſtrumenti alicuius ruptionem, aut eroſionem. Quo in numero eſt ſanguinis effuſio,quæ genere ipſo prẽter naturam eſſe magna ex parte videtur. Interdum tamen ſecundum naturam fit,vt cum mulieres ſanguinem per vterum excernũt. At cæteræ omnes ſanguinis euacuationes toto genere præter naturam ſunt:ij verò,ſola multitudine præter naturã cenſentur. ✣ Quæ autem vomuntur, expelluntur alias,vt immodica,& ventriculum prægrauantia : vteſt interdum alimenti copia: alias verò, ceu quæ angant, & mordeant. Quo in genere ſunt acida,nidoroſa,aut amara:& item bilioſa,pituitoſa,& ſeroſa excrementa: quæ vel ibidem gignuntur,vel ex totius animantis habitu in ipſum cõfluunt.Præter naturã verò,ſi quæ concocta ſunt,nutrire non poſſint.Quocirca videmus ſæpe non ſolum acidam,ſalſamq;pituitã,ſed etiam dulcem in ventriculo collectam ad vomitum ipſum impellere. Sed & ſanguis ipſe in ventriculum effuſus,eo pacto ipſum vomere cogit. Vrinæ autem excretionẽ,ſicut etiam ſeminis, & ſter- G
coris,naturalem eſſe,nemo,opinor,ambigit. Videmus tamen quandoq; magnam lotij copiam excerni,cum natura,nec corpus purgat,nec moleſta amouet: ſed ſicut accidit,vt ſudores,& alui deiectiones , vt ſymptomata redundantiæ vitioſorum humorum, qui ſint in corpore, excernantur, interdum verò à natura expurgentur. Si verò memoria repetas,vt fiat vrinæ ſecretio,profectò ea res admirabilem tibi in regendis animalibus naturæ prouidentiam indicabit : idq; cum ob renum fabricationem , tum verò ob vrinariorum vaſorum originem , quam ex renum ventriculo ducunt. Vt niſi ad hunc modum facta eſſent omnia , aut perperam , aut ne omninò quidem vrina ſecerneretur, & vacuaretur . Etenim vrinæ dignotio valdè vtilis eſt , præcipuè autem in morbis acutis: vt in libris præſagiorum dictum eſt nobis. Quanquam Hippocrates etiam conſueuit,vbi aliquod inſtrumentum reſpirationis læſum ſit, vrinas intueri: quæ ſi ſecundum naturam ſint,in ſolis reſpirationis inſtrumentis periculum verſatur . Sin hæ quoque prauæ eſſe videantur,tunc inſtrumentum quoque nutritionis malè affectum eſſe oſtendunt . Iam verò cum venter malè affectus ſit, ipſiusq; affectio ex deiectionibus dignoſcatur , tamen etiam facit vrinæ mentionem : quæ tenuis cum ſit, cruditatem humorum venis contentorum ſignificat. Quo etiam modo in ventriculi,thoracis, pulmonis,neruorumque affectionibus vrinæ ſpectandæ ſunt . Ipſe autem deinceps ſudorem comme- H
morat . De quo , vtpotè qui ſecundum naturam non ſit, aliquis controuerſabitur . Diocles de hoc eſt ſtudioſè argumentatus . Sed hoc decretum mihi planè aſperum , & præter euidentiam eſſe videtur, cum tamen ab ipſo, vel maximè accommodatè ad perſuadendum confirmetur. Nos autem perſpectum habemus , ſudorem ex eadem gigni materia , ex qua vrina , & eodem modo exoriri . Vtrique enim origo eſt ex humore epoto , qui in corpore calefit , & aliquid bilioſæ materiæ aſſumit . Verum vt medici plura , quàm par eſt, de vrinis , ita de ſudoribus , aut nihil, aut certè potius non neceſſaria conſcripſerunt. Etenim natura ſemper dat operam, vt ſanguinem expurget, quodque vitioſum eſt, ab eo ſecernat, & à partibus principibus modò in ventrem,& inteſtina,modò in extimam ſuperficiem detrudat . Sed ex ijs quæcunque tenuioris ſubſtantiæ ſunt , ea cutim egrediuntur, partim per eam perſpirationem, quæ ſenſum effugit: partim, vt ſenſu percipiuntur,vt ſudores . Quæ verò craſſiora ſunt, ea pertranſire cutis denſitatem non poſſunt : ſed , aut medicamentis, aut purgationibus , aut clyſteribus , aut vomitibus euacuantur . Promptius autem per alium euacuantur humores , qui in primis venis ſunt : qui verò inſunt in ijs , quæ in iecore ſunt , per vrinas : qui verò in toto corporis habitu per ſudorem : ſicut , qui in capite , aut per palatum , aut per nares , aut per vtrunque : qui in amplis ſpatijs thoracis , per guttur ſimul cum tuſſi .

Qui

A Qui deniq; in renibus,aut veſſica ſunt,per vrinam. De ſputis autẽ hoc intelligendũ eſt,quędã ipſorũ eſſe ſpumea,quædam flaua,quædã rufa, quædã pallida, quædã rubra,quædã nigra. Ex ijs ſpumea pituitoſum fluxum indicant: flaua bilioſum ſincerũ. Quæcunq; aũt rufa ſunt, ea bilioſum quidem fluxum ſignificant,ſed non parũ ſeroſi excrementi eſſe cũ flaua bile cõmixtum. Sic nigra,melancholichum eſſe fluxũ oſtendunt. Quę verò magis rubra ſunt,plurimũ ſanguinis, ſed parũ amarę bilis habere humorẽ atteſtantur. quã ob rem,quod huiuſmodi eſt, oĩum eſt ſputorũ mitiſſimũ: ſicut nigrũ eſt oĩum perniciоſiſſimum. Cæterũ qũo ſputa in acutis morbis expẽdenda ſint, non eſt neceſſe dicere in præſentia: ſiquidem ſenex de eis nunc non diſſerit: ſed in libro de ratione victus abundè locutus eſt: nosq; in quatuor in illũ librũ conſcriptis cõmentarijs rem ipſam explicauimus. Quare ad ea,quę deinceps ſequuntur,noſtra ſe conuertet oratio. Addit,muci,vteri,per hœmorrhoidas, &c. De quibus ſigillatim agendo, non eſt producenda longius oratio: ſatisq; erit eatenus de ijs loqui,quatenus poſſit quiſpiã intelligere, euacuationes fieri partim ſecundum naturam,alias præter naturã. quod iã nobis ad oſtendendũ propoſitum eſt: quemadmodũ de muco illud ſcire conuenit, cerebrum ſæpe expurgari hoc euacuato. Inſtrumentũ enim olfactus intra caluariã exiſtit,in anterioribus cerebri ventriculis, qui vaporoſum etiã ſpiritũ continent. Oportebat
B enim operimentũ quoddam tale ei circumiectũ eſſe,quale & tueri ipſum poſſet, & tranſitum ſenſibilium nõ impediret. Quocirca hoc operimentum rarum factum eſt. Vnde ſæpenumero à partibus ſuperioribus confertim fit excrementorũ euacuatio: quas φλέγματα antiqui,mucos iuniores, ex Hippocratis ſententia nuncupant. Prodicus tñ id quod ab oĩbus φλέγμα vocatur, cuius albus eſt color, βλέννα, hoc eſt mucũ appellat. φλέγμα verò nominat ipſe id, quod in humoribus vſtum, & veluti ſupra modum coctum eſt. Excrementũ autẽ, quod à cerebro defluit, fortaſſe quiſpiam non ritè pituitã, ſed mucũ, & grauedinem nuncupabit. Quemadmodũ autẽ pituita, quæ in ventriculo, inteſtinisq; conſiſtit, commodiſſimè, celerrimèq; vacuetur, naturæ inuentum in libri de vſu partiũ expoſuimus. Quod verò pituitæ in venis comportatur, cum ex vſu ſit, nullius eſt vacuationis indigens. Sed ſcire oportet, pituitæ vnum genus vtile eſſe, ac ſecundũ naturã animantibus: aliud inutile, & præter naturã: quæ dulcis eſt, eam eſſe animanti vtilem, & ad eius naturã accommodatam: quæ acida, ſalſaq; facta eſt: acidã, perfectè incoctã eſſe: ſalſam, cõputruiſſe. Atq; hæc de muco ſatis eſſe mihi videntur in præſentia. De vtero pauca dicentur. Ac primum vtrum vuluã, an vterum appellare oporteat eã partẽ, quã natura mulieribus ad pariendũ dedit, ſoliciti eſſe non debemus. Deinde ſciendum eſt, quædã eſſe, quæ animantium corpora expurgant: quædam, quæ partem aliquã. Hæc autẽ interdum præſtant, quæ totũ corpus purgant, interdũ, quæ vnã particulã vacuant:
C qualia ſunt quæ per palatum, & nares excrementa capitis educunt: & quæ per tuſſim thoracis partes, pulmonemq; purgant: & quæ per vrinã ſeorſum totius ſanguinis excrementum educunt. De genere autẽ totũ corpus purgantium ſunt, quæ per vterum, & per hœmorrhoidas euacuant, & itẽ euacuatio quæ fit exercitationibus, frictionibus, & quouis motu. Quod ad vterum pertinet, cauſa eſt, qm̃ ex oĩbus corporis partibus vteri plurimas, maximasq; venas habent: Itaq; facta interdũ menſiũ ſuppreſſione, multa ſymptomata conſequi ſolent. Quaſdam autẽ fœminas aliquis eius partis dolor cum grauitate coniunctus conflictat: aliquibus in coxã dolor incidit, aliquibus crus illius partis claudicat. Si verò menſtruæ purgationes diu ſupprimantur, tunc & inflammationes, & tumores, qui φύματα vocantur, in extrema ilium parte excitantur: præterea dolores lumborum, colli, ſincipitis, & ſedis oculorum, & vehementes febres. Quibuſdã lotiũ ægre it: quibuſdã ne ægre quidem. quorum nihil accidit ijs, quæ integrè purgatæ ſunt. Vt igitur multa ſymptomata comitantur menſtruas purgationes retentas, ſic immoderatas euacuationes ſequuntur hæc, coloris vacuitas, pedũ tumor, & totum corpus ſubtumidum. Quin etiam hoc modo affectis mulieribus, &
D concoctio & appetitus ciborum vitiatur. Meritò igitur ipſe in Aphoriſmis ſcriptum reliquit, ſi mẽſtruæ purgationes copioſiores ſint, morbi accidunt. Si non fiant, & ex vtero morbi exiſtunt. Vtpote multæ cauſæ ſint, quibus copioſiores, quã par ſit, aut etiam pauciores excitentur menſtruæ purgationes: atq; ideo multiplices morbi exoriantur. Idem in euacuationibus, quæ fiunt per ora venarum, q̃ hœmorrhoides nominãtur, videtur contingere: ſiquidẽ multa inde mala cõſequuntur, ſicut ex diuturnis hœmorrhoidibus ſuppreſſis, aut immodica euacuatione ad extremum frigus hoĩem ducentibus aquã inter cutem ſæpenumero collectam conſpeximus. Hoc autem non omnes medici norunt: cum tũ Hippocrates & hoc ipſum, & alia multa perſpicuè docuerit. Sed quicunq; verè in illius ſunt ſcriptis verſati, ij ſolo qũo hœmorrhois fiat, ab ipſo didicerunt. qũo autem multi morbi inde oriantur, vt tormina inteſtinorum, vt varices, & cum hæc ſint, nõ ſemper eſſe prohibenda, ſed interdũ adiuuanda, vel natura quieſcente, totum ei negocium cõmittẽdum, cum ita expediat, tm̃ abeſt, vt illi ſciant, vt ante tempus remedia adhibentes, ea faciant, quæ nullo modo facienda ſunt. Vidi etiam his euacuationibus cohibitis multos melancholicis humoribus fuiſſe correptos: alios dolore lateris, renumq; vexatos: alios cum ſanguinem euomuiſſent, & alijs conflictati eſſent ſymptomatibus, diem ſuum obijſſe. Quemadmodum autẽ in cute, & totius corporis partibus lepra, ſcabies, impetigo, verrucæ, thymi, formicæ, claui, tofiq; ſic in ano hœmorrhoides cæcæ, fiſſa, procidentia, cõdylomata, pylides, aliaq; multa cõtingunt: ſic etiam tubercula, q̃ φύματα dĩr.

Quorum

Quorum quædam admodũ calida ſunt,& cũ vehementia quædã prodeunt:quędã frigida,ſiccaq́; permulta alia inter hæc media exiſtunt:quædam exactè media eorum,quę dicta ſunt,quædã à medio vtrinq́;parũ diſtantia:alia plus eodem modo in vtranq́;partem: quædam ſummis vicina,aut à mediis quodammodo & ſummis pari ſpatio diſtantia. Phymata autẽ appellant tumores prẹter naturã,qui maxima ex parte ſine externa cauſa oriuntur. Videntur autẽ in abdomine,thoraceq́; naſci. Quædã acuta ſunt,& faſtigiata,quæ ipſe meliora eſſe latis ſcripſit. Cõmendat etiã ea,quę deorſum vergunt. Quia eis adapertis, materia facilè defluit. Sicut etiam dura mollibus deteriora ſunt. Quinetiã omniũ tumorũ,qui prẹter naturã ſunt,varietas exiſtit è natura eius,quod influit:flatuoſi enim magis ſunt,vbi materia flatuoſa copioſior acceſſit. Magis verò inflammationis participes,vbi ſanguis;eryſipelatis,vbi flauæ bilis humor:œdematis,vbi pituita:ſicut ſcirrhoſi,vbi vel craſſus,vel valdè lentus ſit humor is,qui parti infixus eſt. Pari modo atra bilis ſine feruore cãcros efficit,eosq́; ſi acrior ſit,cum vlcere. Craſſus autem eſt is humor,qui cancros gignit. Quocirca è vaſculis in circumiectam carnem non admodũ excidit. Ac ſic quidem tumores cancri naturam imitãtes,in omnibus particulis,præſertim verò in mammis mulierũ,quæ naturali purgatione non amplius expurgantur,oriri ſolent: & ab excremento melancholico originẽ ducunt: quod etiam morbum,qui dicitur Elephas, efficit. Sæpe etiã ad varices decumbit,& interdum ad cutem vniuerſam expellitur. E F
Ac cancrum quidem incipientẽ curauimus;cum verò ad notabilem eſt perductus magnitudinem, nemo ſine chirurgia ſanauit. Simili quoque modo tormina inteſtinorum à flaua bili exorta, ſæpe ſuſtulimus. At ſi quæ eſſent ab atra bili exiccata, ea verò prorſus fuerunt inſanabilia: ſiquidem à cancro, cum vlceratione coniuncto, nihil differant. ✻

✻

Promptiſſimè in os,& nares comportantur. Excidunt verò,& in oculos,ac nonnullis in aures. Decurſum porrò excrementi in os tum gula excipit, tum aſpera arteria. Si verò acris ſit fluxio,non ſolum vocẽ lædit,ſed etiam grauiſſima quædã accedit eroſio,vt etiã pulmonem ſæpe exulceret. Quam ob rem dictũ eſt,vomitibus,& deiectionibus ventriculum euacuari,inteſtina ijs ſolis, quę per infernas partes deijciuntur: Sicut etiã caua iecoris:renes,& veſſica,& gibba iecoris,ſi multo,vitioſoq́; ſucco ſint referta, medicamentis per infernas partes deijcientibus, & purgantibus expurgantur:ſi modico,per vrinæ meatus. Cerebrũ verò,vt dixi,per palatũ,nares,& aures:thorax & pulmo per aſperam arteriam,& fauces. Perſpicuum autem eſt,& palati, & nariũ euacuationes eſſe naturales:vt per has partes cerebri excrementa deriuando expurgentur. Per aures verò,prẹter naturam:in infantibus tamen etiam per aures cerebrum purgatur:propterea ꝙ ſi excremẽta,quæ illic conſiſtunt,putreſcant,acrioraq́;& calidiora reddantur,inflammationes,ignem ſacrum,vlcera ſerpentia,carbones,febres,aliaq́;ſexcenta genera morborum parient. Natura autem prouidit,nequid à capite in pulmonẽ defluęret: ſiquidem defluxiones malignæ eſſe ſolent,cum ea,quæ defluunt,tenuia ſunt,facultatibusq́; corrodentibus prædita. Hæc autẽ non expedit tam diu in pulmone contineri,quoad cõcocta craſſa reddãtur,vt cęteras defluxiones, tenues illas quidẽ,ſed non corrodẽtes, & difficiles ad concoquendũ. Neq;ſtatim expelli,propterea ꝙ intus morantes,nõ facilè cõcoquuntur:ſiq́;excernantur,tuſſes vehementes concitant. Quare ſiue in pulmone permaneant hi humores, ſiue euacuentur,noxa ſequitur. Itaq́; natura rectè animantibus conſuluit,cũ duos meatus fecit,ne quid tale accideret. Sicut etiam alia multa ex aluo,ex ſede,& ex cole educuntur. Quod & ſecundũ naturam,& præter naturam fieri,ſicut etiam de cæteris, quæ iam dicta ſunt, intelligendum eſt. G

VNA Natura ſunt hæc omnia, & non vna: multæ naturæ ſunt hæc omnia, & non vna.

Non vocat naturam,quatuor elementorum humidi,ſicci,calidi,& frigidi temperaturã: ſiquidẽ hæc eſt vna omnium eorum,quæ in rerum natura ſunt: ſed & non vna,quia temperaturæ rerũ ſingularum differunt:ſed vocat materiam eorum,quæ euacuantur. Vnum eſt enim genus excrementorum. Atque ita hæc omnia ſunt vna natura. Non tamen vna ſpecie, ſed ſpecierum diuerſarum. H

PHARMACIA ſurſum, & deorſum: & neque ſurſum, neque deorſum.

Eſt hoc in more poſitũ Hippocratis,vt verbũ φαρμακεύειν,non vſurpet,vbi quęuis medicamenta adhibet,ſed ſolũ vbi purgãtia. Sic in Aphoriſmis dixit, Concocta φαρμακεύειν,& in acutis morbis rarò,& in principijs vti pharmacijs. Omninò autem id fatentur oẽs,qui vel mediocriter in eius ſunt dictione verſati. Quomodo autẽ ſurſum, & deorſum vti pharmaco oporteat,ipſe docuit,cum ait: φαρμακεύειν æſtate ſuperiores potius: hyeme inferiores ventres. & item, Graciles, & facilè vomentes ſuperius φαρμακεύειν, cauentes hyemem: Vomentes verò difficulter,& modicè bene habitos, inferius, cauentes æſtatem. Et cum addit, Tabidos verò, cauentes purgationes per ſuperiora; melancholicos vberius, per inferiora. Et paulo poſt, quorum alui leuitate inteſtinorum laborant,hyeme per ſuperiora φαρμακεύειν,malum. Itemq́;ſi quis febrem non habens,cibum faſtidiat, & cordis morſum, tenebricoſamq́ue vertiginem patiatur, & os amarum ſentiat, pharmacia per

ſuperio-

A ſuperiora indigere ſignificat. Adiungit poſtremò alium aphoriſmum, tanquam præceptum, quod ad omnes dolores pertineat, his fere verbis: Dolores ſupra ſeptum tranſuerſum, qui purgatione indigent, per ſuperna opus eſſe pharmacia indicant: qui verò infra ſunt, per inferna. In hanc ſententiam multa & in aphoriſmis, & in alijs ipſius libris ſcripta eſſe licet intueri: quibus apertè diſtinguit, quando per ſuperna, & quando per inferna ſit pharmacia vtendum. ✻

✻

In omni igitur re primum eſſe artificem oportet, tum opus aggrediendum eſt. Artificem autem eſſe in eo poſitum eſt, vt primũ, & maximè totius materiæ, quæ arti ſubiecta ſit, ſimplices facultates cognoſcas: mox vero ipſarum mixtiones, quot, qualesq; ſint. Eſt enim eadem ratio, atque doctrina de medicamentis componendis, deq; ipſorum vſu. Cùm autem duplex materia ſit medicis ſubiecta, altera, in qua medicæ artis finis, hoc eſt bona valetudo efficitur: idq; eſt humanum corpus: altera eſt auxiliorum, per quæ finis efficitur: ſciendum eſt, medicamentorum tractationem ad ſecundam materiam pertinere. Alteram verò eſſe prioris.

B ✻ ✻

Quædam enim ex flaua bili, quædam ex atra, quædam ex pituita exiſtunt. tot enim ſunt omnia febrium, quæ ex humoribus putreſcentibus accenduntur, genera: omnis aliarum febrium varietas ex harũ mixtione exiſtit. Quæ autẽ Ephemeræ, Hecticæq; vocantur, ſunt alia duo genera febrium, ab acutis diſtincta. Sed & acuta febris oritur, aut putreſcente aliquo ex prædictis humoribus, aut particula inflammata. Omnia autem, quæ huiuſmodi ſunt. ✻

Cum enim primo die. ✻

Simplex & ſolus quiſq; humor ex ijs, qui dicti ſunt, quamlibet, earũ quas cõmemorauimus, ægritudinẽ exquiſitam gignit: confuſus verò cum ſanguine, tum in particulam aliquam procumbens, aut ſcirrhi, aut œdematis, aut eryſipelatis naturam referentem inflammationem. Ac ſcirrhi quidam is, qui atræ bili miſcetur: eryſipelatis, qui amaræ: œdematis, qui pituitæ: ſicut cum ſanguis ipſe impactus in loco fluxioni obnoxio computruit, inflammatio exoritur.

C ✻

Sicut multa comperiuntur, in quibus neque per infernas, neque per ſupernas partes pharmaco vtendum eſt. Iam verò neque in ✻ neque ✻ neque in calida regione: neque in habitu ✻ neque in ✻

IN ALIMENTO pharmacia optimum: in alimento pharmacia malum. Malum & optimum ad aliquid referuntur.

Multa ſunt, quæ mixtam ex cibo & medicamento naturam habent. Huius generis eſſe dicimus, quæcunq; ex contraria facultate mixtam habent naturam. Sic in ijs, quæ à nobis parantur, quædã ex contrarijs ſubſtantijs, facultatibusq; comperiuntur: vt ſi tu ſucco ptiſſanæ parum liquoris ſcammoneæ inijcias. Quamuis enim ſic ſenſum effugiat, in actione tamen non occultabitur: ſed aperte aluum ſubducet. Quædam autem eodẽ modo à natura componuntur, quæ videntur eſſe ſimplicia. Talem habent naturã lens, braſſica, & marina propemodũ omnia, quæ teſtam pro cute habere
D dicuntur: quorum ſolidũ corpus tardè permeat, aluumq; cohibet: humor ad excretionem irritat. Atque interdum pugna quædam mutuò conſeritur, cum ſolidum corpus cohibet, & moratur: humor verò ad excretionẽ ſtimulat. Præterea verò cibi, & potus celeriter, aut tardè pertranſeunt, aut propter naturam nobis ab initio tributam, aut propter ventris affectionem acquiſitã: aut propter propriã ſubſtantiam: cum neminem fugiat, quoſdã humidos eſſe, quoſdam aridos, quoſdã lentos, quoſdã friabiles, quoſdam facilè diuiduos, quoſdam acres, quoſdam acidos, aut amaros, aut dulces, aut ſalſos, aut auſteros, aut acerbos: aut quaſdam, extra has, habere facultates medicamenti naturam referentes, quæ ſimiles ſint earum, quę in medicamentis purgantibus inſunt. Haud igitur mirabile eſt, ſi quædam aluum mouent, cum mixtas in ſe ipſis facultates habeant medicamenti naturam referentes, ſimiles earũ, quæ ſunt in colocynthide, ſcammonea, veratro, & alijs generis eiuſdem. Sunt, qui edulia inueniri arbitrentur, in quibus nulla neq; alendi animalis, neque purgandi facultas inſit: aiuntq; hæc non ſolum vt alimenta perſæpe agere, ſed etiã vt medicamenta: propterea quòd corpora perſpicuè calfaciunt, humectant, refrigerant, & ſiccant: hæc porrò cũ nihil horũ agunt in corpore, ſed ſolum alunt, tum non ſubire medicamenti rationem. Sed ſi quæ ſunt huiuſmodi edulia, nos certè pauciſſima eſſe affirmamus. Quod ſi ſint, ſolum pro alimento ſunt. Nec qualitatem corporis eius, qui ſumpſit, immutant. Hac ratione quæ mediæ temperaturæ ſunt, nullamq;

nullamq; ſuperantem qualitatem habent,hæc alimenta ſolum eſſe volunt,medicamenta non item. E
Prodeſt igitur interdum, in alimento vim medicamenti ineſſe, vt cum alimento remedium quoq; adhibeatur, ac fortaſſe etiam cum voluptate quadam. interdum verò id prodeſt. Quo ſanè tẽpore alimentũ redditur malum ex medicamenti qualitate, licet qualitate alimẽti eſſet omnibus temporibus noſtro corpori idoneum. Non prodeſt autẽ,cum corpus ſolam purgationem,& non item alimẽtum poſtulat. Id quod neq;in omnibus,neq;perpetuò verum eſt. Quocirca addit,malũ,& optimum ad aliquid referũtur:hoc eſt noxium,& vtile. Alia enim ratione dices,hoc alimentũ eſſe alio melius:alia verò aliud,non autem abſolutè. Nam ſi medicamentum dandum ſit, aut purganda aluus,hoc ad agendum ſcammoneam braſſicæ præſtare affirmabis: Si verò ſolum ſubducenda aluus ſit, braſſicæ ius antepones. Sic de cæteris iudicandum eſt: quia malum, & non malum ad aliquid referuntur. Et quod vni optimum eſt,alij erit malum,& contra:& quod abſolutè malum eſt, alicui particulatim vtile eſſe comperietur. Cæterum de vocabulo φαύλου hoc ſciendum eſt, veteres ferè omnes ſolere hoc vſurpare, cum ſignificare volunt ſimplex, aut quoduis,cui contrario nomine opponitur exquiſitum. Nunc verò non ita accipiendum eſt, cum ei optimum opponatur.

VLCVS, cruſta, ſanguis, pus, ichor, lepra, furfur, vlcera capitis manantia, impetigo, vitiligo, F
ephelis quandoque nocent, quandoque proſunt. Quandoque neque nocent, neque proſunt.

Vlcerum quædam ſua ſpontè oriuntur, quædam è cauſa externa. Et quædam ſemper maiora, deterioraq; fiunt, quædam contra: ſicut quædam in extremitate conſiſtunt, quædam caua ſunt. Quæ extremitatem,cutemq;occupant,herpetes vocant. quæ ſubiectam carnem corrumpunt,phagedænas: vt etiam carbunculus vocatur vlcus cum cruſta ſimul cum multa circumiacentium corporum inflammatione. Si quis autem accuratius ſcire aueat proprias vlcerum differentias, is explicatas habebit in libris methodi medendi:vbi etiam diximus,alias eſſe ſimplicis,ſoliusq;vlceris, ſine alia affectione coniuncta, differentias: alias, ſiqua alia ſimul adſit affectio.

✻ ✻

Ipſe dixit,Eryſipelas ab externis ad interna verti,non bonum eſt:ab interioribus ad exteriora,bonum. vt ſciamus quicquid ex imis partibus ad cutim vertitur, in bonis eſſe numerandum. Contra verò ſi ad profundas partes tranſmutetur,in malis eſſe habendũ. quocirca nõ eſt mirabile,ſi vlcera interdũ boni conſulenda ſunt,licet,vt monui,omnia propemodum ſint mala. Eadẽ G
eſt cruſtæ ratio. Quare ſi ex vlcere ſanguis fluat,cohibendus prius ſanguis eſt,deinde vlcus curandum. Cruſtã autẽ vt ſepimentum vlcerũ medici compererunt. Generatur enim cruſta ex ſubiectis, circũpoſitisq;corporibus veluti ſemiuſtis. quare tantũ carnis naturalis deperditur,quantũ ad cruſtam faciendã aductũ eſt. Multis autẽ,poſtquam cruſta decidit, profuſio ſanguinis, quæ ægrè ſiſti potuit,ſuperuenit,vt magnopere nocuerit,ac ſæpe acciderit,vt animal hoc profluuio laborãs citius moriatur, quã effluere ſanguis ceſſet. quo ſanè tẽpore neceſſitas nos cogit, vt omni remediorũ genere vtamur. debetq;medicus accuratè,ac ſedulo animum aduertere. De ſanguine autẽ nemo dubitat,quin interdum vtiliter,interdũ ſecus,effluat,aut etiã excernatur. Etenim ſi ratione iudicationis,morbo cõcocto,& critico die fiat ſanguinis profuſio,ſi modò morbum per ſanguinem iudicari opus erat,omninò ægrotum ſeruabit. Sin contra,aut mortem,aut certè maximum periculũ afferet, vt nos quotidie propemodũ intuemur. Puris duplex eſt genus,altero prodeſt,nocet altero. Prodeſt autem,cum fit ſuperante natura:nocet,cum fit,illa ſuperata. Ac ſuperante quidem,vt in inflammationibus,& tumoribus,phymatũ naturam imitantibus:& in humoribus,qui in venis,arterijsq;cõtinentur,id quod ſubſidet in vrinis. Alterum genus gignitur cũ facultas concoctrix vſque adeò infirma facta eſt,vt nullam planè mutationem putreſcentis excrementi ad bonum efficiat. Quãndoq; H
etiam facultas ad extremam imbecillitatem non peruenit, ſed humor eſt ſummè vitiatus. Ergo cũ natura integrè ſuperat,pus optimum efficitur. Eſt autem hoc ad aſpectum,album,craſſum, & omni ex parte ſibi ſimile: tangenti autem bene, ac minimè fœtidum. Sæpè autem album quidem eſt, ſed quia fœtidum videtur eſſe, non eſt bonum: ſicut interdum non album, ſed liuidum apparet. Propterea ipſe in Aphoriſmis extulit hanc ſententiam,quicunque ſuppurati vruntur,aut ſecantur, ſi pus purum,albumq; fluxerit,euadunt: ſin ſubcruentum,fœculentum,ac fœtidum,moriuntur.& hanc, Quorum iecur ſuppuratum aduritur, ſi pus purum albumque fluxerit, euadunt: & quæ ſequuntur. Eodem modo eſt de ichoribus exiſtimandum, quod non parua ſymptomata ex ichoribus oriantur. Idem fermè cenſet Plato, cum ait,Ichor, qui ſanguinis ſerum eſt, mitis eſt: *qui verò atræ bilis*, quæ acida ſit, ferus. Perſpicuum enim eſt in omnibus, & ſuccis, & humoribus humiditatem quandam ſeroſam, tenuemque reperiri: differre tamen pro natura eorum humorum, quorum ſerum ſunt. Erit autem infeſtiſſimum atræ bilis ſerum: minus infeſtum flauæ: hocq; minus pituitæ: omnium mitiſſimus ichor ſanguinis. In vlceribus autem ichor tenuè excrementum appellatur: ſordes vlceris id, quod craſſum eſt: atque ex tenui excremento vlcus humidum redditur: ex craſſo ſordidum. Hanc verò humorum contemplationem, in quibus ichores

ſunt,

A ſunt,non ſolum nouit Hippocrates,ſed etiã Plato,& de morbis, qui ex ſingulis humoribus oriuntur,ita ferè differit,cum de morbis,q̃ à bili progrediuntur, agere incipit: quæcunq; partes corporis pati inflammationem dicuntur: eæ omnes à bili incenduntur, & inflammantur. De pituita ad hunc modum,pituita acida,& ſalſa morborum omnium, qui deſtillatione fiunt, fons eſt. De atra verò bili dicit ea,quæ à nobis iam ſcripta ſunt. Eadem conſueuerunt Ariſtoteles, Theophraſtus, & medici præſtantiſſimi Diocles,Pliſtonicus,Philotinus, Herophilus,& alij plerique. Hippocrates non modò de his egit, ſed etiam de ichoroide ſanguine in libris de morbis vulgaribus loquutus eſt: quem ſanguinem medici eſſe volunt cui venoſa quædam, malignaq́; facultas ſit adiuncta,vt eſt in ſecundo de morbis vulgaribus ſententia, ſub cute, inquit, ichores gignebantur; hiq́; incluſi incaleſcebant, pruritumq́; excitabant: tum puſtulæ, vt ambuſtis, exurgebant, ac ſub cute exuri ſibi videbantur. Præterea verò ſcito, quædam eſſe toto genere præter naturam, quorum omnium eſt triplex differentia: quædam ex ſolidarum partium mutatione fiunt,vt myrmecia, vitiligo,leuce,& alphos,elephas,ſcabies,& lepra. Quædam non omninò ſunt præter naturam prius, ſed poſtea fiunt, vt meliceris, atheromata, & ſteomata. quare ſemper adhibenda mens accuratè eſt ad omnia, quæ præter naturam ſunt, vt cuius ſint generis expendas: & vtrum ſponte ſua,an
B ex aliqua cauſa orta ſint pernoſcas: & vtrum proſint,an noceant: vtrum denique, neque proſint, neq; noceant: vt ab ipſo dictum eſt. Quia verò etiam quædam furfurum ſimilia à capite excidunt, idcirco monet, ſpectandum eſſe, vtrum hæc quoque damnum, an vtilitatem afferant. Cæterum hoc ſymptoma gignitur ab ichoribus prauis pruritus concitantibus. In capitis etiam cute naſcitur is, qui Achor nominatur. Eſtq́; ex genere tumorum, qui præter naturam ſunt. Hic enim tenuibus quibuſdam foraminibus perforatur, quæ tenuem quendam vaporem humiditatis modicæ glutinoſæ continent. Impetigo quoque affectio cutis eſt. Eius ſunt duæ ſpecies,altera cicur, & mitior: altera agreſtis,& moleſtior: in his ſquamæ à cute abſcedunt, & locus, qui ſub ſquamis eſt, rubicundior videtur,& prope ad vlceratum accedit. Morbus autem ipſe à ſalſa pituita,flauaq́; bili exoritur. Alphos quoque duplex eſt, albus, & niger. Fit niger ab atra bili: albus à pituita, non ſalſa. In vultu autem eſt non ſolum Ephelis, cuius ipſe mentionem fecit ſed & vari, & lentigines, & oſſium fracturæ: quæ omnia ſpectanda ſunt, an vt criſes,an vt abſceſſus,an alio modò quodam exoriantur.

C *ALIMENTVM, non alimentum: ſi alere non poteſt, nomine alimentum,opere non item: opere alimentum,nomine verò non item.*

Quod paulò antè dixit,rectè dictum eſt,appoſitionem primum fieri, deinde agglutinationem, tum aſſimilationem cum eo,quod nutriendum ſit: & illud, propriè alimentum vocari, id, quod iam alit: quod verò velut alimentum eſt, necdum aluit, quale eſt quod agglutinatur,aut quod apponitur, alimentum non propriè, ſed homonyme nominari: quod autem venis continetur, & eo magis etiam quod in ventriculo eſt, vtpote quod quandoq; nutriturum ſit, ſi probè conficiatur, alimentum eſſe appellatum. Eodem modo, vt dictum eſt, ſingula edulia vocamus alimenta, non quòd iam alant animantes,neq; quòd talia ſint, quale eſt id,quod alit: ſed quod poſſint alere,nutriturаq́; ſint, ſi probè fuerint confecta. Eſt ergo alimentum, & non alimentum. Quod enim iam aſſimilatum eſt,alimentum vocat. Sic quod poteſt nutrire,nutriturumq́; eſt,alimentum nuncupamus. Quod verò nunquam poteſt alere,nomine quidem poteſt alimentum appellari, re verò non poteſt. Pari modo quod re ipſa alimentum eſt, non eſt alimentum nomine, ſed re & actione. De alimentis autem, in quibus medicamenti facultates ſunt, ac de medicamentis. ✲

D Sicut curatio, quæ fit ijs alimentis, in quibus medicamenti facultas ineſt, præſtantior cenſetur, quàm ea, quæ medicamentis, facultates alimentorum in ſe habentibus, fiat. Proinde caue,ne purgationes ex puris rebus moliaris: ſiquidem aliquid admiſcendum eſt. Si verò vti medicamento purgante contingat,ne finem non conſequaris,nequid aliud adiungito, niſi quod idoneum ſit,in quo alendi inſit facultas. Huius autem generis ſunt,quæcunque. ✲

ALIMENTVM in pilos, & in vngues, & in extimam ſuperficiem ab interiore parte aduenit. Extrinſecus alimentum ab extima ſuperficie ad intima aduenit. Confluxio vna, conſpiratio vna.

In ijs,quæ ſupra attulimus,oſtenſum eſt vnamquanq;particulam trahere alimentum ſibi aptũ: atq; alimenti diſtributionem opus eſſe naturale,vt ex ventriculo in iecur, ex iecore in totum corpus diſtribuatur. itemq́;omnium naturalium actionum principem,ac maximè neceſſariam propemodum eſſe nutritionem,quæ actionis alterantis quædam ſpecies eſt. Qm̃ autem concoctio,quæ in ventriculo fit,alteratio quædam eſt,itemq́; ea,quæ in venis,quæq́; in ſingulis fit partibus, ideo conſequitur aſſimilatio,quæ vt nomine non eadem ſit,quod nutritio,re certè diuerſa non eſt. Sũt tñ,qui nullam ineſſe vlli particulæ vim propriæ qualitatis attrahendæ, arbitrentur. Nobis autem

nihil

nihil difficile eſt oſtendere, per eundem meatum effici attractionem, & excretionem, temporibus tamen diuerſis, quando gula ventriculi non ſolum eſculenta, & potulenta in ſe ipſum adducit, ſed etiam cum nauſea tentatur, contrariam obire actionem euidenter conſpicitur. Idem facit veſſica, quæ ſub iecore eſt, quæ eiuſdem colli vſu impletur, & vacuatur. Simili quoque modo vteri collum intrò eſt via ſpiritus, foras verò fœtus. Oſtenſum enim eſt: per quas venas à ventre in iecur facta eſt digeſtio, rurſus ex iecore in ipſum trahi nutrimentum in longiore inedia poſſe. Venarum, quæ medium ſpatium inter iecur, & partes circa ventrem occupant, eadem ratio eſt. Cum enim in eis magna alimenti contineatur copia, per eaſdem venas ſurſum fertur iecur. Cum autem vacuæ ſint, alimentiq́; indigeant, per eaſdem rurſus à iecore trahunt. Quæ cum ita ſint, omnis particula, quæ robuſtior ſit, trahit: quæ imbecillior, euacuatur. Idque vel abſolutè, & natura, & communiter omnibus ineſt, vel propriè in aliqua efficitur. Et natura quidem, generatimq́; omnibus & animantibus, cor, quàm iecur: iecur, quàm inteſtina, & venter: arteriæ, quam venæ ſunt ad trahendum id, quod eis vtile eſt: & ad id, quod tale non eſt, excernendum, valentiores. In ſingulis autem nobis propriè hoc tempore trahit vehementius iecur: in alio, venter. Hic enim facilè attrahit ex iecore, cum vehementer alimentum appetit, plenumque iecur eſt. Quomodo etiam iecur trahit, cum ipſum quoque indigens alimenti eſt. Et vt particulæ viciſſim ex ſeſe alimentum trahunt, ſic etiam quod ſuperuacaneum eſt, in ſeſe viciſſim deponunt. Quare non eſt mirandum, ſi ab extima ſuperficie, quæ ad cutim eſt, vt nunc ait Hippocrates, vſque ad inteſtina, & ventrem aliquid tranſlatum perueniat: ac non ſpiritus modò, & excrementum, ſed etiam nutrimentum ipſum ab vltima ſuperficie eò, vnde primum aſcendit, rurſus deferatur: ſiquidem exiguum momentum expultricem facultatem huc illuc impellit. Motus autem, qui ab internis partibus irritant, vt in purgantibus medicamentis fit, & vehementiores ſunt, & diuturniores: durantque dum affectio, quæ in ore vaſorum eſt, quæ nimirum trahit, quod vicinum eſt, permaneat. Hæc enim in particulam continentem euacuat. Illa in eam rurſus, quæ ſibi proxima ſuccedit: nec finis fit, donec ad vltimam ſuperficiem peruentum ſit: ita vt particulis, quæ deinceps poſitæ ſunt, ſibi ſemper altera alteri impartientibus, prima affectio celerrimè vſque ad extrema perueniat. Perſpicuum igitur eſt, ex toto in totum aliquid ferri, mutuoq́; recipi: & vt ipſe ſcribit, vnam eſſe omnium conſpirationem, & confluxionem. Id autem apertè cernitur in corde, arterijsq́; omnibus, itemq́; thorace, & pulmone. Siquidem omni ferè temporis momento ſimul inſtrumentorum, ſimul materiarum contrarius motus fieri conſpicies. & quemadmodum alio tempore ſpiritum ducimus, & alio viciſſim emittimus, ſic alimentum alio tempore iecur trahit ex ventriculo: alio verò ventriculus extrahit è iecore. Illud autem non eſt prætereundum, duo eſſe genera tractionis, vnum fit ſucceſſione ad id, quod vacuatur: alterum qualitatis conuenientia. Quod autem fit ſucceſſione ad id, quod vacuatur, prius id trahit, quod leuius eſt. Quod verò fit qualitatis conuenientia, ſæpe quod eſt grauius, modò id ſit magis natura cognatum. Quanquam quod leuius eſt, videtur cor, & arterias prius petere. Quatenus verò etiam alimentum exigunt, in ipſas tunicas quod accommodatum eſt, trahitur. Particulæ autem hoc potiſſimum modo nutriuntur: corporis, quod ſibi continuum eſt, ſummæ primum partes admoto ſibi nutrimento fruuntur. Ab his rurſum per continuum trahentes, ſumunt eæ, quæ deinceps ſunt. Deinde ab illis rurſus aliæ. Atque id fit vſque dum alimenti qualitas in omnes ſit partes diſtributa. Nec tamen particulæ omnes eodem modo aluntur: ſed aliæ ſanguinem magis, aliæ minus alteratum poſtulant. Quæ autem huiuſmodi ſint, alibi dictum eſt, neque opus nunc eſt orationem producere longius.

CONSENTIENTIA omnia, in omnium membrorum compage, omnia: in parte verò, partes in vnaquaque parte ad opus.

De ortu corporis animantium quatuor opiniones per diuiſiones inueniuntur: prima quæ ex non ſentientibus ſimul, & non patientibus: ſecunda, quæ ex ſenſibilibus quidem, ſed impatibilibus ipſum conſtituit. Quod fieri non poteſt: ideò ab vtraque opinione diſceſſimus. Reliquæ ſunt duæ, quarum altera ex ſenſibilibus, patientibusque elementis corpus ſentiens efficit: altera non ex ſenſibilibus illa quidem, ſed ex patientibus. Verum ſi mentem adhibeas, omnia corpora animantium & ſenſibilia, patibilia eſſe comperies. Immo verò prima ipſa elementa viciſſim agunt, & patiuntur multis modis. Ex elementis autem qualitates non tranſmutantibus aliquid diuerſi generis fieri non poteſt: ex tranſmutantibus, poteſt. Videmus enim interdum in multis mutationibus, quæ interiectis medijs fiunt, quod hactenus fuit nigrum, rurſus fieri album: & quod hactenus album fuit, viciſſim nigrum: & quod nunc ſenſile eſt, mox effici non ſenſile. Quicunque igitur ex igne, aqua, aere, & terra alteratis aliquod ex compoſitis corporibus ſenſibile fieri cenſent, ij verum pronunciant. Quod verò quidam aiunt, corpora non eſſe ſenſibilia, quia actu non ſentiunt, fortuito loquuntur. Etenim noſtrum corpus & ſi eſt perſpicuè ſenſibile, tamen non ſentit prius, quàm ab aliquo quidpiam patiatur. Quare ſiue ex ſenſibilibus, & patientibus primis elementis

A mentis, siue ex non sensibilibus, sed quæ mutari, alterariq́ue possint necessariò constitutum est, quod sensum sit habiturum, vera est senis sententia, omnia esse consentientia. An de solis corporis nostri particulis nunc loquitur, significans omnes esse sibi mutuò consentientes: hoc est omnes in vnius operis ministerium conspirare. Perspicuum enim est, magnas omnis animalis partes, vt manus, vt pedes, vt oculos, vt linguam, omnium animalis actionum causa factas esse: omnesque ad actiones obeundas consentire. Quinetiam minores ad totius instrumenti actiones ipsæ quoque referuntur: sicut in oculo, quod vnum aspectus instrumentum, & ex multis constat particulis, omnes particulæ ad vnum opus, hoc est ad viuendum consentiunt. Alium partium est eadem ratio. Sic ventriculus, sic os, sic pedes, sic manus faciunt. non omnes tamen id nosse volunt, quamuis hoc sermone id exposuerit hic auctor. Multis tamen danda venia est, propter dicendi obscuritatem non intelligentibus. Hanc enim sententiam & prisco more, & succinctè extulit: & sursum, deorsum sine copulatione, vt dicta est maxima pars eorum, quæ hoc libro continentur, vel quod ipse primum ita scripserit, vel quod librarius, vt verisimile est, errarit: aut ad extremum quod multa sint immutata, & innouata à Capitone, à Dioscoride, & alijs Hippocratis scriptis contingit. Sed nunc non est nobis propositum aliorum errata arguere: sed Hippocratis
B explicare sententiam. Ait igitur, in totius corporis compage oĩa consentiunt, & partis cuiusq; particulæ ad eius actionẽ conspirant. Quibus verbis nos docet, oĉs particulas, vt dixi, in vnã actionem conspirare, & vnamquãq; eodem modo: vt oĉs ad vitã, & ad oĉs corporis actiones consentiunt: sic singulæ ad singulas actiones conspirent: sicut manus apprehensionis causa factæ sunt: oculi, aspectus: pedes itionis, & cæteræ partes pari modo. Si igitur vt manuũ, oculorũ, pedumq́; actio oĩbus manifesta est, ita etiam pectoris, pulmonis, cordis, & aliarũ omnium partium esset, non esset necesse de eis multa dicere. nunc verò actio plurimarũ abdita est, nec solum vulgo, & cuiuis homini, sed etiam Medicis, ac Philosophis, proinde fit, vt neq; actionem, neque vsum partium singularũ inueniamus. Cum interim euidens sit, quicunq; in actionibus instrumentorum falluntur, eos etiã particularum vsum ignorare, hoc autẽ ignorato, nec quomodo omnia in totius corporis compage simul consentiant, neque quomodo id in singulis partibus fit, cognosci potest. Etenim hac neglecta contemplatione, qũo particularum cerebri, aut cordis, aut aliorum ferè omnium viscerum singulorum vtilitatem sine mora inueniemus? His de rebus dissentiunt multi, clariq́; Philosophi, & medici non vulgares. Alius enim in corde, alius in membranis, alius in cerebro animi principium statuit. Proinde partium, quæ in illis sunt, alius aliam vtilitatem esse vult. Ergo vt veritatem
C cognoscamus, paucis verbis docet Hippocrates eos, qui ab ipso possunt perdiscere. Sed ea inueniri non potest, nisi partiũ vtilitas sit accuratè considerata. Quod in eo positum est, vt quæ sit optima corporis constitutio, cognoscatur. Hæc autem in libris de vsu partium sunt diligenter pertractata.

PRINCIPIVM magnum in vltimam partem peruenit: ex vltima parte ad principium magnum peruenit. Vna natura esse, & non esse.

Principium esse dicimus partem, quæ ijs, quæ à se exorta sunt, aut facultatem, aut materiam omninò præbet. Vt autem animal sit moderatè calidum, quatenus ei conuenit, vt calidum fiat, ac mutare locum queat, duo principia nactum est, alterum est instrumentorum, quæ naturalem calorem conseruent, alterum eorum, quæ omnibus ex appetitu actionibus obtemperent. Vbi verò fœtus sit repletus sanguine, tum tria sunt principia, cor, cerebrum, iecur. Hæc tamen principia indistincta adhuc sunt, & informia: sed quæ coagulationem quandam, notabilemq́; magnitudinem habeant. Progressu autem temporis licet hæc tria principia euidenter intueri, & quandam etiam aliarum omnium partium descriptionem: denique & artus, & quæ in toto sunt corpore, di-
D stinguuntur. Cum igitur tria sint, nosti, cerebrum esse voluntariarum actionum principium: cor earum, quæ vitales nominantur: iecur earum, quæ ad nutrimentum pertinent, quas etiam naturales vocant. Cumq́; in corde sit vitæ principium, ipsumq́; est & origo, & fons innati caloris, sine quo nunquam viuere animal potest, ideo ipsum cor magnum principium nuncupat. Siquidem ab ipso dimanans natiuus calor in omnes animantis particulas & proximas, & remotissimas, quas ipse vltimas vocat, omnibus horis omnique tempore peruenit, & rursus ad idem principium reuertitur: vt talis quædam fiat vicissitudo, quam persæpe esse ad vitam necessariam admonuimus: & qua priuatum animal non posse nõ solum nihil plane agere rerum omnium, sed ne omninò quidem viuere. Ac fortasse hoc vnam naturam nuncupat, vt cum hic calor adsit, homo sit: cum ille absit, homo esse desinat.

MORBORVM differentiæ in alimento, in spiritu, in calore, in sanguine, in pituita, in bili, in humoribus, in carne, in pinguedine, in vena, in arteria, in neruo, musculo, membrana, osse, cerebro, spinali medulla, ore, lingua, gula, ventriculo, intestinis, septo transuerso, peritonæo, iecore, liene, renibus, vesica, vtero, cute: hæc omnia & singillatim, & particulatim, magnitudo ipsorum magna, & non magna.

De numero morborum apud omnes veteres medicos extitit quæstio. Quibus enim omnes morbos

morbos esse septem numero dixerunt: alij, aut plures, aut pauciores. Alij, vt Cnidij, numerum par- E
tium corporis ad numerum morborum accommodarunt, vt bilis sint morbi septem, vesicæ duodecim, renum quatuor, femoris duo, pedis quinque. Sicut etiam difficultatis vrinæ quatuor, distentiones tres, morbi regij quatuor, tabis tres, anginæ multos: eodemq; modo intestinorum multas affectiones posuerunt: quod neque verum est, neque necessarium. *

Verum si nunc de illorum dissensione dicere aggrediar, sermonem ad inutilia deflectam. Morborum enim duplex est genus, alterum in ijs corporibus, quæ constant è particulis inter se similibus: alterum in totis instrumentis. Sicut in illis sunt intemperies: in instrumentis verò vnum in figura spectatur, alterum in numero particularum: tertium in cuiusque quantitate, quartum in situ obseruatur. Est verò etiam solutio continuitatis, atque ita sena sunt omnia genera morborum. Horum autem cuiusq; differentiæ ad vltimas vsq; species in libro de differentia morborum expositæ sunt. Alias verò morborum differentias ipse nunc connumerat, quæ ab alimento, ab aere nos ambiente, & ab alijs multis rebus oriuntur. Etenim fieri morbos ex alimento in
libro de natura hominis ipse attestatus est his verbis, morbi autem, tum à victu, tum à spiritu F
quem trahentes viuimus, oriuntur. Tum vtriusq; generis distinctionem adiunxit. Quia verò non solum ab ijs, quibus vescimur, quæque bibimus, sed etiam à lauacris, exercitationibus, otio, vigilia, mœrore, ira, frigore, & æstu morbi gignuntur, meritò addidit, in calore, & reliqua. Cum autem alimentum è ventriculo in venas distributum, eandem habeat proportionem cum venis, & cum carnibus, id, quod è venis in ipsas diditur, quam habuerunt esculenta, & poculenta cum ventriculo: idcirco ex vitio humorum plurimi morbi oriri solent, vt erysipelata, cancer, gangrænæ, phagedænæ, carbunculi, herpetes, & cæteri generis eiusdem. Edulia autem interdum vitiosa sunt, aut natura, aut propter corruptelam quandam. Natura, vt cœpa, allium, cardamum, porrum: propter corruptelam, vt triticum, hordeum, & alia, quæ gustantur. Huiusmodi autem edulijs vesci multi fame coacti, aut mortui sunt oppressi morbis, qui à corruptela, oriri solent, & quos pestis affert: aut pustulis sunt correpti, scabiem, lepramq; referentibus. Id enim manifestum est, vitiosa edulia sanguinem vitiosum gignere: ac nutritionem à sanguine effici. Vnde multa genera morborum existunt. Itaque hoc consilij do, abstinendum esse ab omnibus vitiosis, maliq́ue succi edulijs, etiam si sint ad concoquendum facilia. Humor enim vitiosus ex ipsis collectus diu in venis latet: qui progressu temporis malignas febres gignit. Eodemq; pacto censeo eduliorum varie- G
tatem esse fugiendam: si quidem nihil est, quod ciborum concoctioni magis aduersetur: præsertim verò cum ipsa edulia ex contrarijs sint conflata facultatibus. Quid dicam, de alimenti indigentia? Ipsa enim multorum morborum causa est vsq; adeò, vt etiam mulieres vterum gerentes abortum faciant: in alijs bilis gignatur: in alijs refrigeratio, in alijs tremor: in alijs capilli defluant. Simili quoq; modo si alimentum præter naturam plus ingestum sit, vt ipse ait, hoc morbum facit. Quocirca danda nobis opera est, vt quoniam euacuamur, alimẽtum æquale sit copiæ eius substantiæ, quæ defluit. Plurimum autem defluit à calidis, mollibusq; corporibus, & ijs, quæ, aut assiduo, aut vehementi motu cientur: minimũ autem à frigidis, duris, & quæ moderatas actiones obeunt. *
Et quod ad substantiã pertinet, quæ durior, lapideaq; est, permanens est, & ægrè mouetur. Quę verò humida est, ac mollis * citò à resoluitur. Quocirca *copia alimenti* debet copiæ perspirationis proportione respondere. * Morborum differentiæ ex temperatura aeris nos ambientis fiunt ex natura cuiusq; victus ratione, qua bene valens *quis* vtatur. Si enim sola aeris nos ambientis temperatura esset causa morborum, omnes in singulis anni temporibus illis generibus morborũ affligeremur, qui morbi ad illa essent tempora accommodati. Sed & propter errata, quæ in victu cõmittuntur, & propter multas alias causas morbi oriuntur: quemad- H
modum in libro de natura hominis scriptum est. Cæterum distinctionem ipse attulit. *

Solam autem caliditatem commemorat, quia ipsa est qualitatum efficacissima. Ad ipsam addidit frigiditatem, tum humiditatem, ac siccitatem, ac caliditas quidem, & frigiditas totam substantiam, quæ vicina sit, alterare possunt: humiditas verò, & siccitas temporis progressu mutãt, ipsæ quoq; res subiectas, sed tamen non tam celeriter sicut antedictæ. Non est autem vnus modus neq; originis, neq; incrementi caliditatis: sed hoc fit, aut propter motum, aut propter putredinem, aut propter alterius caliditatis vicinitatem, aut propter calidæ effluxionis retentionem, aut calidæ substantiæ admixtionem. Propter vicinitatem, vt facit Sol, aut ignis, aut si medicamentum calefaciens extrinsecus admotum contingat, aut adhæreat. Propter motum, vt cum ira vehementer commouet facultatem irascendi, quæ in corpore cordis collocata est. Propter verò *

Duplex enim est causa effluxionis, altera cum ab alijs partibus excrementa ad imbecilliores mandantur: altera, quando eodem trahuntur, quod caliditas apta sit fluxiones ad se trahere, aut eadem recipere. * *

Si calor

A Si calor ſuperet, neceſſe eſt, vt animal ægrotet eo morbi genere, qui morbus ſimilis ſit naturæ eius cauſæ, quæ ſuperarit. Quare inflammationes, & eryſipelata, & herpetes, & carbunculi, & affectus cum ardore, & febri coniuncti, ſunt huiuſmodi: ſicut etiam conuulſiones, diſtentiones, palpitationes, ſtupores, neruorum reſolutiones, morbi comitiales, & paraplegiæ frigoris ſuperantis affectus ſunt. Quo etiam modo ex atra bili exoriri ſolent cancer, elephas, ſcabies, pruritus cutis, quartana febris, & affectio, quæ melancholica dicitur, & lienis magnitudo, atque alia permulta. Et item ex alijs humoribus alia: quæ non ſunt hoc tempore annumeranda. Magnam autem vtilitatem affert animantibus calor moderatus, præcipuè autem animali ſpiritui, & inſtrumentis locum maximè principem obtinentibus: ſed & toti corpori, ſicut alibi oſtenſum eſt. ✻

Quomodo enim frigidus ſanguis in vapores ſolueretur? immodicè verò calidus facilè quidem in vapores ſoluitur, verum turbidos, & fumoſos.

✻

Ob hanc igitur cauſam ſanguis melancholicus, & bilioſus in vapores vitioſos ſoluuntur, & alter ad melancholiam, alter ad inſaniam perducit. Interdum verò etiam in febribus ar-
B dentibus ad delirium. Cum autem propria cuiuſque particulæ ſubſtantia ſit frigidi, calidi, humidi, & ſicci quædam temperatura, ſciendum eſt, nullam particulam ſtatim immoderatè ſiccam, aut humidam reddi: extremè verò frigidam, aut calidam euidenter effici. Itaque temperatura à nulla re tam celeriter corrumpitur, quàm ab immoderato calore: ſicut non exigua vtilitas eſt, cum naturalis calor eſt. Idq; non ſolum in prima formatione, in qua oſſa citius concreſcunt, nerui citius extenduntur, venæ, & arteriæ citius in fiſtulæ formam ſe indunt, ac cætera membra formantur omnia: ſed etiam in vita vniuerſa. Idem eſt de pituita, de flaua bili, deque atra iudicandum. Hæc enim, ſicut etiam ſanguis, cum

✻

Neque enim volunt inſaniam ab atra bili exoriri, ſicut neque cancrum, neq; elephantiaſim, nec ferina deliria in phrenitide, neque varices, neque hœmorrhoides.

✻

C Sicut neque bilioſum, ſeroſumq; excrementum. & tamen omnes humores in corpore contineri perſpiciuntur: idq; Hippocrates demonſtrauit eo, quòd omnes in bene valentibus, eum vnuſquiſque à proprio medicamento trahitur, excernuntur.

Hæc videntur. Itemq; magnitudo, & mos cuiuſque morbi ex ijs percipitur. Ac magnitudo quidem ex affectionis magnitudine, & ſymptomatis ipſam conſequentibus. Mos verò tum ex differentia morbi, tum ex ſymptomatibus ipſum conſequentibus cognoſcitur. Cum enim quiſque morbus tribus modis magnus fiat, aut propter nobilitatem affectæ partis, aut propter affectionis magnitudinem, aut propter motum ipſius malitiam: exempla erunt hæc, vulnera capitis, & ventriculi præſtantiam vulneratæ partis indicant. Maligna autem ſtatim fiunt vulnera, quæ in articulis ſunt. Illic enim doloris, vigiliarum, conuulſionis, & delirij periculum inſtat: ſic etiam magna, quæ ita magna ſunt, vt vel ſuturam, vel deligaturam poſtulent. In humoribus hoc idem manifeſtum eſt: etenim melancholicus exuperans, pernicioſiſſimus eſt, & quòd malignus eſt maximè, roditque maximè, & ægrè concoquitur, ægrèq; purgatur: & quod plurimum ſubeſ-
D ſe caloris, à quo peraſſatus eſt, indicat. Sanguineus, quia dulciſſimus eſt, & maximè aptus ad concoquendum, omnium eſt mitiſſimus. Alij duo humores ſunt inter prædictos interiecti medij. Symptomatum autem

✻

SIGNA, titillatio, dolor, ruptio, mens, ſudor, vrinarum ſubſidentia, quies, iactatio, viſa, phantaſiæ, morbos arquatus, ſingultus, morbus comitialis, ſanguis ſincerus, ſomnus.

Neque facultatis voluntariæ, neque inſtrumentorum, ad hæc pertinentium, eſt propria affectio, ſicut tremor, & conuulſio: ſed omnibus accidit corporibus, quæcunque dilatari poſſunt Hæc ſuaptè natura mollia ſunt, vt & dilatari, & rurſus ſedere in ſe queant. Interdum hæc palpitatio ex acribus, mordacibusq; humoribus exoritur.

✻

Eſt motus ſimilis ei motui, qui vulgo dicitur titillatio: fitq; ex digitorum

Tremor talis quidam est motus. Partium verò concussio, quæ in morboso rigore fit, E
sine voluntate efficitur, & post longa interualla, cum motus contrarij sese excipiunt.

✲

Huic similis est alius morbus, qui musculos, & neruos occupat, qui conuulsio nominatur.

✲

Satis enim iam à nobis est dictum

✲

Qui autem eorum omnium, quorum facta mentio est, accuratè tum cognitionem habere, tum originem perdiscere aiunt, poterit is nostrum librum perlegere, in quo de ijs omnibus plene disseruimus. Nunc autem ad reliqua progrediendum est, ac primum de dolore dicendum, tum deinceps de consequentibus. F

✲ ✲

GALENI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE ALIMENTO, COMMENTARIVS QVARTVS.

Ioanne Baptista Rasario Nouariensi interprete.

DVLCE, non dulce, dulce ad potentiam, vt aqua. Dulce ad gustum, vt mel. Signa vtrorum q. vlcera oculi, & gustus. & in his magis, & minus. Dulce ad aspectum, & in his coloribus, & alijs mixtionibus dulce magis, & minus.

✲ Ipsorum quædam humida, quædam sicca, quædam tenacia, quædam friabilia, & facilè diuidua sunt. Quædam acrimoniam in se habent, quædam acorem, quædam amaritiem, aut dulcedinem, aut salsuginem, aut austeritatem, aut acerbitatem, aut alias, præter has qualitates. Cum autem scientia oriatur, aut à sensu, aut ab euidenti notione, nos ad eorum, quæ modò proposita nobis sunt, inuentionem, aut altero horum, aut vtroque vti necesse est. G

✲

RARITAS corporis ad transpirationem, quibus plus fertur, salubrius. Quibus minus, morbosius. Densitas corporis ad transpirationem, quibus minus aufertur, morbosum.

Cum duplex sit noxa, qua corpora animantium afficiuntur, altera ab externis, altera ab internis causis profecta, quorum mollis, raraq; cutis est, ea ab omnibus externis causis facilè corripiuntur: quorum verò densa, duraq; est, ea facilius ab internis. Quocirca prodest, cutim ita præparare, vt vtrunq; excessum caueamus, vt neve cutim ita densam reddamus, vt ne rectè fiat trãspiratio prohibeamus: neve ita laxemus, vt à quacunque causa foris in ipsam incidenti, facilè lędetur. Scimus enim rara corpora imbecilliora esse, & sana diutius permanere: & cum ægrotant, facilius senescere. Densa verò, contra. ꝙ siquis continenter ægrotet, incipienda causa erit. Siquidem duplex eius rei occasio est, aut plenitudo, aut vitiositas humorum. Cum igitur è corpore minus transpiratur, quam sint ea, quæ sumpta sunt, morbi ex plenitudine oriuntur. Proinde aptus modus eorum, quæ edimus, & bibimus, seruandus est, habita ratione eorum, quæ euacuantur, quantitate in vtrisque ponderata. Est autem detrahendum de alimentorum, aut qualitate, aut quantitate, aut de vtraq;, atque in ijs, qui celeriter copiam humorum colligunt, de vtraque. Qui non celeriter, aut non multum, satis erit alteram imminuere, quamcunq; ægrotus optarit. Quantitatem minuere, facile est. Quod ad qualitatem pertinet, fit, ea edulia offerendo, quæ parum nutriunt. Qui verò copiam vitiosorum humorum congregant, non sunt eo modo tractandi, quo ij, qui plenitudinem aggregãt: siquidem non est vna solum intentio, cum ne vna quidem sit malitiæ humorum forma. Est enim quędam frigidior, ac pituitosior: vt quędam calidior, & biliosior: sicut rursus quædã magis aquea, & quædam magis melancholica. In singulis autem cibi, potusq; omittendi sunt, qui citò gignere possint humorem, qui in homine colligitur. Quod si contingat, verum inuenitur, quod ab Hippocrate dictum est, quibus plus ad cutim fertur, eos non assiduè ægrotare, quia libera corporis transpiratio est. Qui contrariò modo se habent, contra. Atque ideſt, quod ipse addit, cum ait. H

Què

A *QVI PROBE perſpirant, imbecilliores, & ſaniores, & facilè conualeſcunt. Qui malè perſpirant, prius quàm ægrotent, robuſtiores ſunt. Cum verò in morbum inciderunt, difficilius ſaneſcunt. Hæc autem, & toti, & parti.*

Cum vitium quoddam meatuum cutis eſt, quo per halitum diſſipari incrementa prohibentur, ac nos malè tranſpiramus, id obſtructio, aut denſatio, aut conniuentia meatuum, aut etiam anguſtatio nominatur. Obſtructio tamen à denſatione differt, quòd obſtructio à tenacibus, craſſisque excrementis, confertim ad cutim ruentibus fit: denſatio ab adſtringentibus, & refrigerantibus oritur. Quidam autem, qui probè perſpirant, hoc vitium effugiunt: qui licet ſint imbecilliores, tamen magis ſani vitam degunt: & cum in morbos incidunt, ſuperſtites euadunt. Quidam verò ſic à principio ſunt malè conſtituti, vt ſemper ægrotent, neque poſſint valere, etiam ſi eis ipſum Apollinem præficias. Hæcq; non modò in toto corpore, ſed etiam in ſingulis particulis viſuntur. In cauſa ſunt excrementa, quæ per halitum non extruduntur. Neceſſe enim eſt, vt comedamus, bibamusque: propterea, quod ſemper aliquid defluit è corpore. Cum autem edamus, ac bibamus, neceſſe etiam eſt, vt prouideamus, quo excrementa euacuentur. Eorum autem multa ſunt genera,
B vt quædam ſint in ventriculo confecti cibi, quædam eius, qui in iecore, arterijs, & venis, quædam eius, qui in ſingulis particulis continetur: ſanè cuiuſque ſuam eſſe euacuationem oportet, quo neque in morbum animal cadat, neque vllam planè moleſtiam ſentiat. Id quod fieri non poteſt: quando in animantibus multa in hunc vſum inſtrumenta comperiuntur, tum quæ expurgent hæc ipſa excrementa, atque ſeparent: tum quæ deducant: tum quæ in vnum conducant: tum quæ excernant: quæ omnia natura videtur eſſe, vel ab initio fabricata.

PVLMO contrarium corpori alimentum trahit: alia verò omnia idem.

Quicquid nutritur, ab adiacentibus ſibi vaſculis alimentum in ſe trahit. Ac conſentaneum eſt, vt ab arterijs tenuius, à venis craſſius trahatur. Sanguis enim, qui arterijs continetur, tenuior eſt, & vaporoſior. Atque hoc ali carnem laxam, ſicut craſſiore denſam præſtat. Ideo pulmonis caro, quæ laxiſſima, leuiſſimaq; eſt, ac paulo minus alba, vtpotè, quæ ex ſpuma concreuit, nutritur ſanguine exquiſitè puro, & flauo, & tenui, & ſpirituoſo. Sanguis enim, qui à corde ad ipſum tranſmittitur, has omnes prærogatiuas habet. Iecur neque nutritur ſanguine probo ſimul, & craſſo, tum
C propter tenuitatem tunicæ venarum, quæ in ipſo ſunt: tum propter foraminum magnitudinē. Lien verò alitur humore melancholico, qui ab ipſomet viſcere fit elaboratus. Horum autem trium viſcerum carnis ſpecies formæ humoris ipſas nutrientis reſpōdent. Siquis verò ſummatim ſcire velit, quomodo hæc tria viſcera nutriantur: ita ſe res habet: iecur ex rubro, craſsoq; ſanguine: Lien ex tenui, ſed nigro: pulmo ex accuratè elaborato, flauo, tenui, ſpirituoſo, puroque alimentum ſumit. Nunc autem quemadmodum aliæ particulæ omnes ſunt omnium participes, ſic venæ, & arteriæ ſunt: quarum hæ exigui, tenuis, & vaporoſi ſanguinis: venæ rurſus pauciſſimi ſpiritus, ſed caliginoſi, & craſſi. Si igitur corpus pulmonis alimentum poſtulat, non limoſum illud quidem, & craſsum, ſicut corpus iecoris, ſed, vt dictum eſt tenue, leue, & vaporoſum: profectò apparet omnia in corpore animalis ab opifice rectè facta eſſe. Vnumquodque enim alimento ſibi ſimili nutritur. Leue autem, ac rarum eſt pulmonis corpus. Ergo vaporoſum, tenuem, & purum ſanguinem, non limoſum, & craſsum, ſicut iecur, poſtulabat. Ex quo factum eſt, vt vaſa habeat contraria, præcipuè ijs, quæ in iecore ſunt: deinde verò alijs animalis particulis. In illis enim rara, tenuisq; eſt tunica vaſis, ſanguinem ſuppeditantis. Propterea fit, vt plurimum craſſi ſanguinis, ac celeriter partibus circumſtantibus diſtribuat. At tunica in pulmone, craſsa, denſaq; eſt: proinde nihil, niſi quod te-
D nuiſſimum ſit, elabi ſinit. Iam verò in alijs particulis arteriæ craſsæ, denſæq; ſunt. Qua ſanè ratione paucum omninò, ipſumq; vaporoſum ſanguinem proximis partibus trahere permittunt. Soli verò pulmoni plurimum huiuſmodi impartiuntur: vtpotè quæ propter raritatem, ac tenuitatem continere ipſum non poſſint. Ex quo efficitur, vt quod ad nutrimentum pertinet, in pulmone contrarium ſit, atque in cæteris omnibus animalis partibus. Neque hoc mirabile eſt: quando etiam ipſius corporis forma ita ſe habet: cum nihil in toto corpore, neque ita rarum, neque ita leue, neq; ita ſpirituoſum reperiatur. Sed ſcimus etiam tria adiumenta ad alimentum accommodata ei neceſsāriò ineſse, primum copiam domeſtici caloris: alterum, pulmonis dilatationem in inſpirationibus: tertium, ſanguinem à corde ad ipſum emiſsum, qui in corde ſit accuratè elaboratus, & attenuatus. Propterea verò maximæ in ipſo venæ ſunt: vt quantum propter tunicæ craſſitudinem iuſto alimento detrahitur, tantum magnitudine ipſarum expleatur. De arterioſa autem vena, & venenoſa arteria nihil nunc attinet dicere: ſiquidem horum etiam vaſorum natura in pulmone mutata eſt, propterea, quòd in hoc ſolo viſcere denſam venam, raramq; arteriam eſſe præſtabat. Quod ignorant ij, qui non ſunt in corporum diſsectionibus exercitati. Quiq; naturalium facultatum cauſas non inueſtigant.

PRINCIPIVM alimenti ſpiritus, nares, os, guttur, pulmo, & alia tranſpiratio. Principium ali- E
menti, & humidi, & ſicci, os, gula, ventriculus. Antiquius autem alimentum, per abdomen, vmbilicus.

Ego verò pluribus indicaſſem, quantum in omnibus alimenti inſtrumentis ſit naturæ artificium, ſi hoc eſſet huius ſcriptionis, & temporis. Tantum autem indicaſſe ſufficiat, quantum vſus orationis coegit exponere. Etenim alimenti inſtrumenta in quocunque voles animante contemplari, ita eſſe conſtituta comperies, vt venas omnes, quæ in inteſtinis, ventriculo, liene, ōmentoq; inſunt, ad iecoris portas porrigi conſpicias. Cumq; vnus ſit cunctis animantibus communis vſus, cuius gratia indigent alimento, ſingulis ipſorum generibus triplicia eſſe inſtrumenta intuebere: quædam ad alimentum ſuſcipiendum, & conficiendum, atque etiam in totum corpus cōportandum: alia, vt ſint receptacula excrementorum: tertias alias particulas, quæ excernendis excrementis ſubſeruiant. Ergo ventriculus alimentum excipit: in quo exiguam quandam, primamq; mutationem, quæ ingeſta ſunt, ſubeunt, ac iecori præparantur: quod iecur eius alimenti, quod in ipſum permeat, maximam alterationem molitur. Hinc venæ confectum alimentum in omne corpus diffundunt. Quod verò ſuperuacaneum, quodq; tenue, & leue, itemq; terreum, graue, aqueum, & ſeroſum eſt, natura aliorum inſtrumentorum vſu expurgat. Huiuſmodi ſunt meatus, F
qui bilis receptores nominantur, & veſſica, quæ eſt his ſimilis, & lien, & ex venis eæ, quæ ad imam inteſtini recti partem ſunt, & meatus vrinarij, & renes, & veſſica. Communia porrò in omnibus inſtrumenta ſunt inteſtina, ventriculus, venæ, & iecur: vt verò excrementa diſcernantur, atque expurgentur, vaſa, quæ bilem recipiunt, & veſſica iecori adiuncta: præterea verò lien, & renes. Muſculi verò acceſſerunt, qui reliquijs cibi depellendis ſubſeruiunt, nequid ſine prouidentia relictum eſſe videatur.

✣

Quod cerebrum eo ſpiritu, qui influit à corde, non admodum indigeat. Reſtat igitur, vt in eo inſit, aut abundans ex ſanguine exhalatio, aut inſpiratio per nares. Cæterum exhalatio, copioſa non fit. Quare neceſſe eſt, vt à naribus plurimum alimenti ſpiritu animali ſuppeditetur. Quam ob rem dixit Hippocrates, principium alimenti ſpiritus, eſſe os, nares, guttur, pulmonem, & aliam reſpirationem: ſiquidem his omnibus alitur. Addit autem, humidi, ſicciq; alimenti principium eſſe os, gulam, & ventriculum. Etenim hoc primum principium. Secundum G
autem præſtant venæ ex iecore in ventrem pertinentes: in quibus primis ſanguis gignitur. Tertium vetò ipſum eſt iecur. Sicut quartum eſt vena caua, in qua prima ſanguis ab excrementis purus relinquitur. Quocirca alimenti principium eſt os, gula, ventriculus: ſpiritus verò, os, nares, guttur, pulmo: ſicut vmbilicus antiquioris alimenti principium eſt per abdomen. In eo enim quatuor vaſa ſunt duæ arteriæ, ac duæ venæ, quæ in medio ſui habent vrinaculum. In ſuperioribus partibus, ſunt venæ, in inferioribus, arteriæ. Protinus igitur vtrunque vaſorum par eſt idoneo in loco conſtitutum. Ac per ea velut per truncos quoſdam, fœtus ab vtero ſanguinem, & ſpiritum ducit. Id quod Hippocrates antiquius, & longè primum alimentum vocat, hoc eſt, antequam infans in lucem proferatur, per vmbilicum, & quatuor vaſa antedicta ali ſolet.

RADIX Venarum, iecur: radix arteriarum, cor. Ab his, & ſanguis, & ſpiritus in omnia ab-
errat: & calor per hæc permeat.

Quoniam iecur eſt radix venarum, & cor arteriarum, ait, ſanguinem quoque ex iecore, & ſpiritum ex corde, in omnes corporis partes euagari, & ex vtriſque calorem promanare. Atq; arterijs, H
quæ in corde ſunt, proportione reſpondent venæ, quæ ſunt in iecore. Et quemadmodum arteria, quæ ex ſiniſtro cordis ventriculo producitur, truncus eſt arteriarum, quæ in toto ſunt animante: eodem modo venæ, quæ in totum animantis corpus ſunt diffuſæ, veluti rami quidam à trunco, à vena caua ſunt exortæ. Arterijs verò, quæ à corde in pulmonem ſunt diuiſæ, quæ ſunt veluti radices, proportione reſpondent eæ venæ, quæ ad ventriculum, lienem, & meſenterion collocantur. Atque etiam ex venæ cauæ partibus, quæ deorſum fertur ad ſpinam, eam mihi intellige reſpondere parti magnæ arteriæ maiori, quæ deorſum fertur: eam verò, quæ ſurſum fertur ad iugulum, minori. Eſt autem vas quoddam maximum, quod à ſiniſtro cordis ventriculo exoritur. Quod ſimul atque è corde emerſit, in duas partes diuiditur: quarum altera ad ſpinam deflectitur partibus omnibus inferioribus arterias immiſſura: altera ſurſum ad caput fertur, arterias omnibus partibus, quæ ſupra cor ſunt, præbitura. Pars autem eius, quæ fertur deorſum, quintam thoracis vertebram conſcendit: altera poſt primum exortum, partem ſui quandam ad ſiniſtram ſpatulam, & axillam ſurſum mittit: quæ ad primam vſque coſtam ſurſum fertur indiuiſa. Illinc autem partem quandam ſui mittit ad prima ſpatia intercoſtalia, hypochondrium, atque alteram mammam, quæ toti oſſi pectorali ſubiecta eſt. Penetrans autem per ſex vertebrarum foramina

etiam

A etiam muſculis propinquis obiter propagines immittit. Quod autem huius arteriæ reliquum eſt, in totam manum ſiniſtram, & ſcapulam diſtribuitur. Maior autem totius arteriæ, quæ ſurſum fertur, pars ſurſum ad iugulum fertur, & medio pectoris oſſi coniungitur. Hæc autem aliarum arteriarum maxima inferiores thoracis partes pertranſiens, propagines in vtranque partem mittit in ea loca, in quibus muſculi intercoſtales poſiti ſunt: & non exigua in thoracis muſculos externos excidit: & ventri, ac lieni, & iecori arterias impertitur, cum primum ad loca, quæ ſub phrenitibus ſunt, peruenerint. Vnde profecta, inteſtinis etiam diſtribuitur. Deinceps autem maximum par arteriarum in renes inſeuit. Quæ verò in teſticulos feruntur, ſunt ex ijs, quæ in renes perrumpunt. Quæcunque autem in alia corporis loca ſingillatim diffundantur, mihi nunc orationis prolixitatem vitanti non eſt propoſitum explicare: præſertim cum reſtet etiam de venis ſermo, qui longius eſt ille quidem, ſed non admodum neceſſarius ijs, qui ea, quæ de ipſarum diſſectione conſcripſimus, & noſtros de vſu partium libros perlegerunt. In illis enim commentarijs, & copioſius, & quantum ſatis ſit, de ijs à me dictum eſt. Nec tamen fuerit incommodum, ea nunc commemorare. Quoniam igitur alimento indigemus, quia euacuamur, ideo oportet alimentum æquale eſſe copiæ eius ſubſtantiæ, quæ defluit. Vena igitur omnium, quæ animali in-
B ſunt, maxima, ex iecore in vtranque corporis noſtri partem, ſuperiorem inquam, & inferiorem enaſcitur. Propè ipſum autem venæ latæ, ac breues ad renes diuiduntur. Reliqua earum omnis diſtributio in tota ſpina, & cruribus eo modo ſe habet, quo in arterijs. Atque etiam omnis venarum in inteſtina diſtributio, quam à portis iecoris habent, ſimul cum arterijs eſt. itemque, ea, quæ fit in omentum, ventriculum, & lienem: in quæ omnia vnica vena diuiditur: quæ à magna propagatur, vbi primum extra ſeptum tranſuerſum progreſſa eſt. Partibus autem ſuperioribus natura venas diſtribuit ad proportionem eorum, quæ euacuantur: atque oſſibus quidem paruas: pulmoni maximam, ei à corde inſertam dedit. Cor autem propter magnam caloris copiam plus alimenti conſumit. Cerebrum minus per halitum diſſipatur. cauſa eſt caloris indigentia. Quoniam autem nobis propoſitum eſt agere de ✲ ✲ Venæ autem

POTENTIA vna, & non vna: quæ hæc omnia, & alia gubernat. Hæcq; ad vitam totius, & partis: hæc verò ad ſenſum totius, & partis.

C Cùm quatuor potentiæ ſint, quarum omnis particula eſt particeps, quæ trahit, quod ſibi aptũ eſt, quæ continet, quæ alterat, quæque excernit quod ſuperfluit: de alimento vnam eſſe potentiam dixit, & non vnam: vt vnam eſſe genere potentiam, ſed multas habere ſpecies oſtenderet. Atque id ſiue ad totius animantis, aut partium ipſius vitam, ſiue etiam ad ſenſum referatur. ✲

LAC alimentum eſt ijs, quibus lac ſecundum naturam alimentum eſt, alijs non item. Alij ſunt, quibus vinum alimentum eſt: alij, quibus non eſt: & carnes, & aliæ multæ ſpecies alimenti.

Lac generatur ex ſanguine exactè concocto. Natura autem, & ſanguinem, & ſpiritum ad mãmas non è propinquis vaſculis, ſed longiſſimo interiecto ſpatio adducit, quod eſt à nobis alibi demonſtratum. Lac autem, quod eſt alimentum exactè confectum, ex ijs efficitur. Cum enim adhuc in vtero ſumus, ſanguine alimur. Et ex ſanguine, qui perexiguam in mammis mutationem aſſumat, lac, vt dixi, conficitur. ✲

Lac matris, niſi ægrotet, eſt infantibus optimum. Cumq; culpa vacat, tunc eis natura-
D le eſt, & infantes vſitatiſſimo, accommodatiſſimoq; alimento fruuntur. Ac natura non modò hoc infantibus alimentum parat, ſed potentias eis inſitas ab ipſo ſtatim initio tribuit, quibus vti eo poſſint. Conſiderandum, explorandumq; accuratè eſt lac guſtu, viſu, & odoratu: Quod enim optimum eſt guſtantibus, odorantibusq; erit ſuaue: intuentibus verò candidum ſimul, & æquale, & medium quodammodo inter liquidum, & craſſum. Quod aut vitioſum eſt, aut craſſum, aut liquidum, aut ſeroſum, aut liuidum, & conſiſtentia, coloreq; inæquale. Sed, & guſtantibus amarum, aut ſalſum, aut abſurdæ cuiuſdam qualitatis particeps videbitur. Ait autem non ſolum alimentum eſſe lac, ſed multas etiam eſſe aliorum alimentorum ſpecies, vt vinum, carnes, legumina, & alia permulta, quæ mulieres prius mandunt, & vſu edoctæ in ora infantium indere ſolent. An verò hoc ipſe dixit de omni genere alimenti, quo mortales quotidie vtuntur? Id enim ita præſtat accipere. nam & vnam potentiam genere, multasq; ſpecies dixerat.

ET PRO regione, & conſuetudine.

Præſens anni tempus ſpectandum eſt vtrum vernum, an æſtiuum, an autumnale, an hiber-

num sit. Regio quoque attendenda est, in qua homines degunt. Sed & ætatis habenda est ratio: vt E
scias, an regio sit calida, an frigida: & vtrum sint pueri, aut adolescentes, aut senes. Consuetudo quoque nota esse nobis debet: quando sunt, qui cibos, & potus, quibus vt solent, & difficiliores sunt ad concoquendum, facilius concoquant, quàm insolitos, & ad concoquendum faciliores. Quare magnopere spectanda est consuetudo, & dissuetudo: nisi multum velis in medicina claudicare. Sed de consuetudine dictum in alijs commentarijs est. Propterea ad ea, quæ deinceps sequuntur, pertransibo.

ALVNTVR quædam ad incrementum, & essentiam: quædam ad essentiam solum, vt senes. Quædam præterea, & ad robur.

Infantes, pueruli, & adolescentuli alimentum trahunt, vt incrementum sumant, atque vt essentiam suam tueantur. Senes non amplius augentur. Proinde licet alantur, tamen incrementum non sumunt: sed aluntur, vt solum sint. Postremò autem qui ætatem consistentem agunt, & ad essentiam, & ad robur aluntur, sicut nonnulli, vt hæc omnia consequantur.

F

ATHLETICA affectio non est natura. Habitus salubris melior in omnibus.

Cur athletarum affectio non sit naturalis, alibi exposuimus. Hoc autem loco habitum corporum intelligere debes, non eorum, qui quouis modo exercentur, vt qui fodiunt, aut remigant, aut quid aliud agunt eorum, quæ homines naturaliter faciunt: sed eorum, quorum hoc studium est proprium, vt sese exercendo contra vim athleticam aduersariorum se muniant: quos athletas vocarunt: qui ætatem omnem in exercitationibus consumunt, vt alios deijciant. Ad hæc autem peragendum, magnam molem corpori adijcere, & humorum copiam, vnde totum corpus alitur, semper afferre studeant. Hanc autem affectionem ipse esse periculosam censuit. Quia vbi vasa impleta cibis, potibusq; sint, periclitantur, ne aut illa disrumpantur, aut natiuus calor suffocetur, aut extinguatur. Dictum autem perspicuè ab Hippocrate est, hanc affectionem esse, & fugiendam, & pertimescendam. Habitui autem naturali, cum salubris sit, & bonus habitus appellari absolutè possit, omnimodè studere conuenit. & sicut hunc omnes ornant laudibus, sic atheleticum omnes, & medici, & Philosophi vituperarunt, propterea quod, vt scriptum reliquit Plato, & ad rem familiarem tuendam, & ad rem militarem, & ad vrbanos magistratus gerendos incom- G
moda est: &, quod familiam ducit, omne discendi studium, & omnem intelligendi, meditandiq; diligentiam impedit.

MAGNA quantitas, bona coniectura ad potentiam accommodata.

In alimentis qualitas, & quantitas est. Nec solum debemus coniectura consequi qualitatem, sed etiam quantitatem. Nos verò in alijs ad vires non parum conferre dicimus, si quantitas facultatibus nostris accommodetur: ac tunc alimentum probè concoqui, ac distribui, & excrementa excerni, & alias naturales actiones ordine procedere, cernimus: sicut secus, si qua in re pecces.

LAC, & sanguis, alimenti redundantia.

Lac est vtilis alimenti excrementum. Quocirca iure factum est, vt in homine mammæ sint in pectore collocatæ. Primum quia is locus est eis aptissimus, deinde quia velut tegumentum quoddam cordi accedit: tertio, quia vtilis excrementi plurimum in hominibus potest eo in loco colligi. H
De sanguine autem, & quomodo gignatur, & ex quibus veluti materijs fiat, & per quæ instrumẽta, nemo ignorat, nisi idem omnium, quæ in dissectionibus corporum, medicinaque, tractantur, sit ignarus.

CIRCVITVS ad multa consoni, ad fœtum, & huius alimentum.

Fœtuum tempora sunt quatuor, primum est, in quo in abortu, vel in dissectionibus superat adhuc seminis forma. Secundum, in quo cor, cerebrum, & iecur, licet adhuc sint informa, quandam tamen concretionem, & magnitudinem habent. Tertium est, cum tria principia euidenter licet intueri: & quædam alarum partium descriptio apparet. Quartum illud tempus est cum non solum tria principia, sed etiam partes ad ventrem, artusq; pertinentes omnes distincta sunt. Fœtibus enim non est vnus præfinitus terminus, neque perspicuæ formationis, neque egressionis in lucem. Quocirca ipse dixit ad multa, hoc est, plerunque, consonos esse circuitus, & ad fœtum, & postquam animalis facultates nactus est, ad sui ipsius alimentum.

Rursus

A *RVRSVS autem ſurſum repit ad lac, ad alimentum, & ad infantem.*

Magnus eſt vteri, mammarumq; conſenſus. Hæcq; vtraque pars eſt ad vnius operis miniſterium præparata. Natura autem eas venis, arterijsq; coniunxit: quæ vaſa à partibus corporis ſuperioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad ſuperiores feruntur: vt quando in vtero fœtus augeatur, ac conformetur, ei ſoli venæ communes, ex vtriſque alimentum affundant. Cum verò ſit in lucem editus, mammis iterum totum affluat alimentum. Vt enim fœtus, dum adhuc in vtero eſt, alimentum trahit è ſanguine illuc confluente, cum interim menſtruæ purgationes in vterum non comportentur: ita puerulo iam partu edito illud excrementum, quod collectum natura ſingulis excernere menſibus ſolebat, in lac conuertitur, & ſurſum ad mammas fertur, vt eo puerulus nutriatur. Lac enim eſt menſtruo germanum, vt proditum ab Hippocrate eſt. Quocirca ſanguis menſtruorum ſurſum repens, fit lac, & infantem alit, atque auget. Quam ob rem in Aphoriſmis habetur, ſi mulieri vterum gerenti purgationes procedant, fœtus valere non poteſt. Et alio quodam in loco, ſi grauidæ lac copiosè è mammis profluet, fœtum imbecillum reddit. Quippe cum quicquid ſuperuacaneum eſt, ſurſum ad mammas aſcendat, quod fœtus in venis reliquit:
B nec ipſe quantum ad ſui nutritionem ſatis eſt, queat attrahere.

FIVNT animalia, quæ non ſunt animalia. Fiunt, quæ ſunt: fiunt etiam partes animalium.

Ex ijs, quæ nulla ſunt, fiunt ea, quæ ſunt: & ex ijs, quæ ſunt, fiunt alia, & item ipſorum partes: fœtus enim primo, ſecundoq; tempore, cum deſcriptionem quandam, adumbrationemq; omnium particularum habet, nondum animal vocari debet: ſed velut planta omnem habet ortum. Vt enim in plantis in parte inferiori, & ſub terra eſt radix, ſic in fœtu eſt exortus arteriarum, & venarum chorij in vterum. Et ſicut plantæ duplicem habent exortum è ſeminibus prodeuntem, per quem truncum, & ramos ſurſum emittunt, deorſum verò radices in multas partes diffundunt, ſic in fœtibus multiplici ſciſſione diſpertitæ venæ, atque arteriæ in totum corpus, vt truncus: in vterum verò, vt radices terminantur. Quin etiam duplex in ipſis, & motionis, & formationis principium ab ipſo ſtatim initio reperitur. Ita quæ animalia non ſunt, fiunt animalia. & quæ poteſtate animalia ſunt, ea fiunt re ipſa animalia: & partes item ipſorum eodem modo.

C *NATVRAE omnium indoctæ.*

In ſexto de morbis vulgaribus libro ſic ſcriptum inuenitur, Cùm verò natura indocta ſit, nec didicerit, quæ oportet, efficit: ac diuinas ſui potentias indicat. Nemo eſt enim, cum primum natus infans eſt, qui ipſum docet, quomodo, aut linguam mouere, aut mammas accipere, aut maternum lac deglutire, aut omnes naturales actiones obire debeat: quo nihil inueniri poteſt admirabilis. Sed quoniam hæc, & omni tempore, & ſingulis horis, & ab omnibus geruntur, idcirco nemo ipſa, niſi idem amicitia iunctus ſit ijs, qui clari, ac ſapientes euaſerunt, admiratur.

SANGVIS alienus vtilis. Sanguis proprius vtilis. Sanguis alienus, noxius: ſanguis proprius, noxius. humores proprij, noxij: humores alieni, noxij. humores alieni conferentes, humores proprij conferentes. Conſonum, diſſonum. Diſſonum, conſonum. Lac alienum, bonum. Lac proprium, noxium. Lac alienum noxium. Lac proprium, vtile.

D Hæc pro varietate attributorum accipienda ſunt: velut cum quidpiam corruptum ſit, aut diminutum, aut redundans, aut vitiatum, aut alio modo quodam immutatum. Sicut etiam lac matris eſt filio aptum, quia ipſius ſubſtantia eſt ſubſtantia ſanguinis, ex quo genitus eſt. Verum ſi lac maternum corruptum ſit, tum aliud, quod infanti conferat, quærendum erit. Idem eſt de humoribus ſentiendum. Ruſci enim ſi quis folijs veſcatur, aluus ſubducetur: ſi ſemen comedat, aluus cohibebitur. Simili quoque modo braſſicæ ſuccus, & gallorum veterum ius, & marinarum cochlearum humor, & ipſarum carnes efficient. ✲

CIBVS iunioribus parum maceratus. Senibus ſumme immutatus: florenti ætati, impermutatus.

✲

Cuncta animalia, quibus ali ſenes, & quorum ætas inclinat, vnum diem, & noctem mortua ſinere. ✲ alimenta rite concocta. ✲

Adoleſcentibus, & florenti ætati, & ijs qui in vehementibus operibus verſantur, toſta, aut elixa diligenter.

Qualitatem enim, aut quantitatem alimenti non indicat. ✲ E
Hippocrates autem facit, vt vires ſint, quas attendamus. in alimenti copia æſtimanda, cum ait, quæ augentur, plurimum innati caloris habent: ergo plurimo egent alimento. Vires enim genus alimenti indicant. Atque id ſine differentia. qualitatem verò, cum differentia. Nunc autem ✲

✲

Ad formationem dies XXXV. ad motum LXX. ad perfectionem CCX. Alij verò, Ad formam, XLV. ad motum, LXXVI. ad exitum CCX. Alij, ad ſpeciem L. ad primum ſaltum, C. ad perfectionem CCC. Ad diſtinctionem XL. ad tranſitum LXXX. ad elapſum, CCXL.

Non eſt in fœtibus definitum tempus neque manifeſtæ formationis, neq; motus, neque exortus. Hippocrates primus de ipſorum formatione verè ſcripſit: ſicut in libro de fœtuum formatione, itemque in libris de ſemine demonſtratum eſt. Idem quoque in libro de natura pueruli, & accuratè, & perſpicuè ſcriptum legimus. Quocirca non eſt magis producenda oratio. Omninò autem non eſt vnius terminus, ſed formationis tempus eſt dierum XXXV. aut XL. F
aut XLV. tempus motionis duplum eſt eius, in quo formatur: quod ipſe τύπωσιν nominat. Tempus denique egreſſus in lucem, eſt triplum eius, in quo mouetur. Quod, vt plurimum, eſſe verum videtur.

NON EST, & eſt. Fiunt autem in his, & plura, & pauciora, & ex toto, & per partes. Dicimus etiam plura pluribus, & pauciora paucioribus.

Fœtus ſunt, quoniam geniti iam ſunt, & formationem quandam habent. Non ſunt autem, quia nondum perfecti ſunt. Rurſus autem velut ſumpto initio ait, in his diebus, quos ante præſcripſit, & plures, & pauciores infantes exoriri: quaſi nos doceat, non vnum eſſe eis definitum tempus, ſed diuerſum pro natura ſeminis, vteri, temporis anni, regionis, ac præterea multarum aliarum rerum. Veteres autem interpretes hunc locum aliter intelligunt, Hoc enim de partu, qui octauo menſe edatur, dictum arbitrantur. Etenim Glaucias ſic legit, Non eſt, & eſt infans octauo mẽſe natus: & huc transfert ea omnia, quæ in libro de octaui menſis partu ſcripta ſunt. quo in libro habetur, neminem eo menſe natum, eſſe ſuperſtitem. Sabinus autem ait, hos fœtus poſt partum G
apparere quidem, & ita tanquam animalia, eſſe: at non eſſe, vt mox moritura: ita vt in lucem quidem edantur, non viuant tamen. Alij verò ✲

OSSIVM alimentum ex fractura. Naſo bis quinq; maxillæ, clauiculæ, & coſtis duplicia. Cubito triplicia, tibiæ, & brachio quadruplicia. Femori quintuplicia, & ſi quid in his plus, aut minus poteſt.

Naſi oſſium fracturæ decem diebus conualeſcunt, & corroborantur: maxillæ, clauiculæ, & frontis viginti. Humeri, triginta, tibiæ, brachijque quadraginta. Multæ tamen cauſæ ſunt, quæ faciunt, vt hæc varientur. Nam, & anni tempus, & regio, & natura, & ætas eius corporis, cui remedium adhibetur, & victus ratio, & deligandi modus ſæpe faciunt, vt vel citius, vel ſerius fracturæ corroborentur, & callo obducantur. Materiæ quoque craſſitudo eſt aptior, ad corroborandum, & callum inducendum: ſicut humiditas inepta eſt. Iam verò validæ vires citius opus ſuum perficiunt, imbecillæ, tardius. De his autem omnibus in commentarijs ad libros de fracturis dictum eſt accuratius. H

SANGVIS humidus, & ſanguis ſolidus: ſanguis humidus, bonus: ſanguis ſolidus, malus. Omnia autem mala, & bona ad aliquid referuntur.

Sanguis calidus, & humidus ſuapte natura eſt. Ideo cum naturæ ſuæ ſtatum ſeruat, ipſum eſſe probum, & bonum cenſet. Cum verò ſolidus eſt, hoc eſt, extra ſuam naturam, eſſe malum ait, hoc eſt, non eſſe probum, ſed noxium. Nam quod φαῦλον dixit, hoc loco vitioſum ſignificat: quod bono opponitur: quæ ad aliquid referri dicuntur.

VIA ſurſum, & deorſum, vna.

Viæ, & veluti canales quidam in corpore ſunt, quæ ab ipſo vaſa appellantur. Hæc ſupernè deorſum, & infernè ſurſum progrediuntur, ac ſola relatione differunt: ſicut ſcalæ, & aſcenſui, & deſcenſui deſeruiunt.

FACVL-

A *FACVLTAS alimenti melior, quàm moles. Moles alimenti melior, quàm facultas. Et in humidis, & in ſiccis. Detrahit, & adiungit idem. Huic detrahit, huic verò adiungit idem.*

✲

✲ Vires imbecillæ multum alimenti, licet probum ſit, concoquere non poſſunt. Propterea curandum eſt, vt modus alimenti, habita ratione virium corporis, ſtatuatur. ✲

HVMIDVM alimentum facilius tranſmutatur, quàm ſiccum. Alimentum ſiccum facilius, quã humidum tranſmutatur. Quod difficulter alteratur, difficulter conſumitur. Quod facilè apponitur, facilè conſumitur.

Hoc ad aliam, aliamque naturam relatum, verum videtur eſſe. Quædam enim eſt corporis na-
B tura, in qua potius humidum, quàm ſiccum alimentum benè tranſmutatur. Eſt etiam quædam, in qua contrarium vſu venit. Sic alimentum, quod difficulter alteratur, difficulter conſumitur, & quod facilè apponitur, facilè alteratur. Primi generis eſt caro bubula, & cochleæ, & quæ carnem duram habent omnia: & vinum craſſum, ac fuluum, & quod ſimul album, craſſumq; eſt. Secundo genere continentur vina albi coloris, & tenuis conſiſtentiæ, quæ aquea vocamus. Ex alijs omnibus quatenus aliquid manifeſtè ventrem ſubit, eatenus ad proportionem temporis, quo alit, conſumitur. Talis eſt ptiſſanæ ſuccus: alica verò non item. Siquidem & multum alit, & multo ſpatio temporis id facit. Comparatio autem facienda eſt in ijs, quæ & in qualitate conſiſtentiæ, & qualitate apparatus ſunt ſimilia: quod medici perſpectum habent, vt aſſa magis corroborent corpora, quam elixa. ✲

Cætera omnia elixandi genera.

✲

Et quicunque celeri oppoſitione indigent, humidum medicamentum ad reſumendas vires optimũ.
C *Quicunque celeriori, per olfactum. Quibuſcunque verò tardiore appoſitione opus eſt, id ſolido alimento faciendum eſt.*

Sic etiam in Aphoriſmis ſcriptum eſt, facilius impleri corpora potu, quam cibo. Quæ enim humida, poculentaque ſunt, quæ nimirum ad alendum apta ſunt, id celerius, quàm ſolida corpora efficiunt. Quamuis enim ſolida magis nutriant, hæc tamen celeritate illis præſtant. Proinde ſit, vt quibus celeri appoſitione opus eſt, humida, poculentaque conueniant. Quibus verò etiam celeriore, ijs per odoratum ſuccurramus. Quibus tardiore, ſolida corpora præbeamus. Quanquam corpus, quod iam debile, aut longo morbo, aut euacuatione, aut à vitiato humore ſit redditum, poſtulat alimentum non graue illud quidem, ſed quod facilè concoquatur, quodque ſuauis ſit odoris. Cauſa eſt, quia ſuauis odor neſcio quid addit ad corpus, & eius temperaturam accommodat, & naturalem calorem corroborat: in quo calore nos eſſe vitam aſſerimus. ✲

FACVLTAS omnia auget, & alit, & propagat.

D Dictum eſt, facultatem quandam eſſe, quæ ſibi aptam qualitatem trahit: aliam eſſe, quæ retinet ea, quæ ſumpta ſunt: ſicut rurſus aliam, quæ reijcit excrementa: aliam denique, quæ alterandi munere fungitur: & has facultates in omnibus animantis ineſſe particulis. Particulæ enim alimentum in totum corpus à venis à caua prognatis trahunt. Caua autem rurſus trahit ab ijs, quæ ſunt in iecore: eæ deinde ab illis, quæ ſurſum ad portas feruntur. Illæ rurſus ex ventriculo, & inteſtinis. Ipſum porrò ventriculum extrinſecus impleri neceſſe eſt. Hæc autem omnia facit facultas, vt augeat animal, nutriat, atque propaget. Idque potiſſimum moliri per venas videtur: quas nos non modò alimentum è ventriculo deducere videmus, ſed etiam attrahere, ſimul, & iecori præparare ſimillimo modo, quo ipſum facit. Quomodo autem hæc gerantur omnia, quoniam ✲

HVMOR alimenti vehiculum.

Natura veſſicam iecori adiunxit, qua leue, flauumque excrementum exciperetur: lienem verò ſiniſtro in parte collocauit, qui craſſum, limoſumque excrementum traheret. Cum igitur humor, qui in iecore paratur ad animalis alimentum, duo prædicta excrementa depoſuit, & coctionem eſt adeptus, ruber, & purus ſurſum ad gibbas iecoris partes aſcendit. Illic autem ipſum

excipit

excipit vena maxima,& ad vtranque animalis partem inferiorem, & ſuperiorem comportat. In E
hac vena ſanguis eſt multa humiditate tenui, & aquea plenus. Siquidem humor ex cibis proue-
niens, neque poterat ex ventriculo in venas commodè tranſumi, neque facilè venas, quæ in iecore ſunt, pertranſire, niſi quædam tenuior, & aquea humiditas eſſet admixta. Ex ea tamen nutriri nulla particula poteſt. Idcirco humiditatem eſſe alimenti vehiculum, & non alimentum, non ſolum Hippocrates, ſed omnes ferè optimi medici cenſuerunt. Hunc igitur ipſum præſtat animantibus: neque quod nutriturum eſt, à ventriculo poteſt diſtribui, niſi ab aliqua re ita liquida deducatur.

Finis non extat.



F

FRAGMENTVM GALENI
COMM. IN II. LIB. EPIDEM. HIPPOCRATIS.

Hieronymo Mercuriali interprete.

RAT etiam cuidam infra os, quod appellatur dens. G

EDentem appellant veteres dentiformem ſecundæ vertebræ proceſſum cranio articulatum: factus autem à natura fuit, vt caput ante, atq; retrò ageret, ſi quidem primæ vertebræ ad cranium articulatio, caput dextrorſum, atque ſiniſtrorſum circumducit.

NEQVE Bubones vlli intumuerunt.

Bubonas nunc vocat Hippocrates eas, quæ in pariſthmijs fiunt, inflammationes, & ipſas glandulas.

LINGVAM non facilè vertebant, ipſiſq; & maior eſſe videbatur, & prominentior.

Faucibus enim protruſis, protrudebatur continuitatis ratione, & lingua, magnaque exiſtens ore exibat, ea propter neque facilè ipſam vertebant propter ſucci craſſitiem, quem manifeſtum facit, dicens quòd venæ ſub ipſa erant conſpicuæ. H

AT ad nares fugiebat, ſi valdè niterentur.

In quibuſdam exemplaribus ſcriptum inuenitur. Sed ad nares, & potus fugiebat, ſi valdè cogeretur.

SPIRITVS autem his non valdè elatus.

Elatus quidem erat ſpiritus ob loci anguſtiam, non multum autem, quòd proprius non eſſet membrorum ſpiritualium affectus.

PARVM autem quid, horum recrudeſcentibus.

Recrudeſcentes affectus vocat, qui nullam firmitatem habent, qui reuertuntur. In his igitur, inquit, breuiſſima horum erat capitis caliditas, niſi aliàs febricitarent.

MVLTI verò etiam ad valdè longum tempus habentes aliquam tumoris partem.

In quibus crudus, & frigidus ſuccus tumorem efficiebat, ijs multo tempore durabat tumor.

Erant

A Erant autem signa horum, tum in deuorando angustia, tum commodè loquendi impedimentum, & si alioqui ægri nil mali se habere putarent.

COLVMELLAE corruptæ.

Hæc pars vbi sese habet secundum naturam curculio nuncupatur, vbi verò male afficitur, si illius extremum inflammatum vuæ assimilatur, vua dicitur: sin totum, columella, sin autem extenuatum sit, Lorum vocatur. corrumpitur verò ab humoribus acribus, & ab ijs excrementis, quæ in ipsum feruntur.

PARALYSES autem per totum corpus non fiebant.

Semiparalyses inquit, per totum corpus non fiebant. quemadmodum ex alijs causis dimidium spinalis medullæ, veluti obstructione, aut incisione facta læderetur. SED VSQVE ad manum ab anginosa affectione, Scimus enim manum suscipere neruos ab extrema colli ver-
B tebra, atq; dorsi principio. HI AVTEM matura expuebant quidem, eo quòd à tumore discutiebatur humor. Matura, verò. i. tempore cocta. natura scilicet humores superante, atque gubernante. PARVM autem & vix, Pro cum violentia, vel quòd adhuc angustia perseueraret, vel quod ipsa motrix facultas iam debilis euaserat.

ERANT autem hæc in facie maximè conspicua, & in ore.

Hæc inquit manifesta erant, scilicet semi resolutio in palato, quod os vocauit, & in curculione. Patiuntur autem hæc eo, quod tertiæ neruorum coniugationis in spinali medulla pars, miscetur parti neruorum coniugationis à cerebro ad hæc delatorum, & distribuitur. Vnde necessariò hæ partes afficiuntur.

QVIBVS autem in rectum.

Quibus autem, ait, æqualiter tendebat vertebræ luxatio, ij absque labore expuebant, nulla
C enim in ipsis resolutione facta, virtutem minimè habebant imbecillam. Hoc verò solum membrum medium interiectum est, si quidem alia ante, & post ipsum sunt.

QVIBVS autem & cum febre.

Febre scilicet humorem infixum fundente DIFFICVLTER spirantes, primum quidē propter febrem, deinde quòd vrgente febre refrigerari postularent. LOQVENTES saliuam fundebant, cum autem humiditas confunderetur, atque circa os colligere saliuam effundebant, Etenim cum natura esset infima, corporis ornatus, atque gubernatio negligebatur. ET VENÆ his magis elatæ. Venæ autem elatæ erant, quod ob febrem multi in ijs producerentur vapores.

ET PEDES omnibus quidem frigidissimi erant.

Et pedes omnibus quidem frigidiores. § Omnibus quidem, quoniam vt experientia, atque ra-
D tione didicimus, cum semper ij, qui sunt imbecilles, frigidos habeant pedes: tum verò ij maximè: quibus à febre calor natiuus erat absumptus, & præ imbecillitate ad extrema peruenire nequibat. propter hoc etim erecti stare, hoc est ambulare, & consuetas operationes obire non valebant. Quoniam verò hi omnes perierunt, sed alij statim, alij posterius, dicit, quòd qui statim non interibant, ij neque erecti stare poterant, cumque vertebræ luxatio, vel maior, vel minor sit, de minore sermonem faciens ait, quod habētes luxationem in rectum, idest anterius, in neutram partem vergendo, ita vt neque dextrorsum, neque sinistrorsum inclinaret, hi nullam sunt passi resolutionem, hoc enim significat vox § *Resoluti* § Cur? quia neruorum processus non comprimebantur. non igitur facultatis influxus parcus erat, vnde neque insensibilitas, neque immobilitas contingebant.

GALENI BREVIS DENOTATIO
DOGMATVM HIPPOCRATIS
EX SERMONE XCIX.
IOANNIS STOBÆI.

A de Carnibus à principio. De ijs quæ in medicat. fiunt com. 1. text. 1.
B 6. de Morb. vulg. sect. 8. ante medium.
C 4. de Morbis ad initium.
D 1. de Diæta. Et li. de humorib. versus finē.
E de Nat. hum. com. 1. text. 32. 33. 34. 35. f. 31. li. & 32. a b c.
F 1. De Diæta. versus finem.
G lib. de Aere, aquis, & locis.
† *Al. in singulis horum generib. inter se reperiri. vt non tantum de sexu, sed de alijs omnibus supra positis intelligatur.*
* *ὑγιάναν. sed fortè ὑγραίναν. i. humectari. & videtur magis veritati consonum.*
H 4. de Morb. à principio.
I 5. Aphor. 38. & 48.
K 1. de Morb. à principio. & 4. circa medium.
L 1. de Nat. hu. 20. & 21.
M 2. de Natu. hu. tex. 1.
N de Dieb. indicatorijs. Et 1. de Diæta iuxta principium.
O 1. Epidemio sect 2. tex. 48. & 49 Et 1. Progn. text. 2.
P de Sept. par. Et 2. Epid. sect. 6. circa med. Et 2. aphor. 24.
Q 1. Epi. com. 3. tex. 13. de Affectionibus circa med.

ARtis elemẽta ea sibi palam placere dicit, quæ manifesta sunt. [a] ‖ Constat igitur tum homo, tum animalia cuncta, ex solidis, humidis, & spiritibus. Sed neq; stirpium natura triplici horum genere caret. Sed & viuunt, & augentur, & gignunt, & nascuntur per horũ constitutionem. [b] ‖ Ac solidorũ quidem essentiam ossibus, neruis, & chartilaginibus assignat: deinde mẽbranis F quoque arterijs, & venis, nam hæc in genere solidorum alicubi numerat. Horum verò compactionis, & formationis probabiles sequutus rationes, caput originem putat. Differuit autem de solidorum natura in libris de fracturis & articulis, ac alijs similibus: de spiritu in commentario de flatibus peculiariter inscripto: de humidis in libro De humoribus, & altero de humana natura scripsit, & alibi sparsim. [c] ‖ Sunt autem illi humores sanguis, pituita, & vtraq; bilis, scilicet flaua, & atra. Ex his sanguinem ait natura calidum, & humidum esse, colore rubrum, qualitate dulcem: Pituitam verò frigidam, & humidam, & albam, magisq; salsam: At bilem flauam, calidam, & siccam, pallidam, & amaram: Denique alteram, frigidam, & siccam, nigram, & flatuosam esse. [d] ‖ Aetates etiam ei quadrifariam distinguere placet, anniq́ue partes similiter. [e] ‖ Abundare autem vnumquemque ex prædictis humoribus ætate, & anni parte sibi conueniente: Videlicet ætate puerili abundare sanguinem, ac tempore veris: Vigente autem, bilem flauam, & æstatis tempore: Postea declinante, nigram, itemque autumno: Demum in senectute pituitam, nec non hyeme: Naturas enim humorum, temporibus anni respondere. Itaque ver calidum, & humidum est veluti sanguis: æstas calida, & sicca: autumnus frigidus, & siccus: postremo hyems frigida, & humida, simili ratione qua humores. Eodem modo diem quoque numero naturaq́ue partium diuidit, vt quæ supradictis parua quadam proportione consentiant. [f] ‖ In vniuersum autem viriles naturas à mulieribus differre auctor est: mares enim ad calidius, & siccius temperamentum inclinare: fœminas contra ad frigidius, ac humidius. [g] ‖ Et rursus aliud, sed minus discrimen † in vtroque sexu seorsim reperiri, penes situs regionum, & aeris proprietates, ac victus rationes. Ad hæc singulos humores in hominis corpore peculiarem vsum exhibere: Sanguinem alere, calfacere, * sanitatem, bonumq́; colorem efficere: Bilem flauam continere corpus, non permittere latentes meatus dissolui, incitare, & acuere sensum, concoctioni prodesse, excrementorum ductus faciles, & apertos efficere: Atram verò bilem sedem, ac veluti fundamentum esse reliquis humoribus: postremò pituitam neruis, membranis, chartilaginibus, articulis, & linguæ, ad motus facilitatem prodesse. [h] ‖ Item genitale semen, tum viri, tum mulieris ex æquo ei conferre videtur ad zongoniam, id est viam fœtui præstandam, idq́ue ab omnibus corporis partibus abire. [i] ‖ Et mares in dextro vteri latere, fœminas in sinistro generari. Præpollere autem dextras partes læuis, & superiores inferioribus. [k] ‖ Morborum autem causas censet alias ab ictibus violentis, alias ab aere ambiente nasci: plurimas verò à prædictis humoribus, cum aut abundant, aut deficiunt, aut qualitate mutantur, aut ex loco in locum transeunt. [l] ‖ Præterea vsum remediorum huiusmodi, quæ causis contraria sint, approbat. [m] ‖ Morborum alios acutos facit, alios diuturnos, & alios medios. [n] ‖ Fieri autem ait acutos, vt plurimum à bile, & sanguine, ætate vigente, æstiuo & verno tempore: diuturnos verò à phlegmate, & atra bile, & in senibus, & hyeme: medios autem causis mixtis prouenire. Item qui morbi salubres, qui contra lethales sint, prænosse docet. [o] ‖ Asserit quoque prænotionem, & prædictionem necessariò ad artem pertinere, ac inter se differre: aliquando enim prænosse duntaxat oportere medicum, aliquando etiam prædicere, tutum esse. Prænotionem diuidit in symptomata præterita, & præsentia (quæ aliquid obscurum, aut incertum habent, & futura. [p] ‖ Ad hæc decretorios dies cognosci iubet: Nam acutas ægritudines magna ex parte diebus imparibus, diuturnas contra paribus iudicari: & hos quidem, impares inquam dies, æstate, in iuuenibus, partibus dextris, & superioribus, criticos esse: in contrarijs, verò pares. [q] ‖ Quin etiam locos primario affectos inuestigare præcipit, istis enim cognitis non parum adiuuari medicum, & ad signa discernendum prædicendumq́ue, & ad morbum curandum.

GALENI

A



GALENI FRAGMENTVM
EX QVATVOR COMMENTARIIS QVOS IPSE INSCRIPSIT
DE IIS, QVÆ MEDICE DICTA SVNT IN PLATONIS TIMÆO.

B

Augustino Gadaldino Mutinensi interprete.

Hoc fragmentum à nobis inuentum & latinitate donatum esse Galeni, stylus, & doctrina, & libri, quos ipse à se scriptos citat, indicant. Quin & Galenus quoque octauo de dogmatibus Hippocratis, & Platonis libro, capite quinto & sexto: & libro de tremore, capite septimo: facturum se explanationes in ea, quæ medicè scripta sunt in Platonis Timæo, pollicetur: ac in libro de proprijs libris commentarios de hac re quatuor se feciſſe affirmat.

* * *

PLATO. I.

C

Id verò quod in nerui, cutis, & ossis complicatione, quæ circa digitos fit, ex tribus his est commixtum, iam exiccatum, vna communis omnium dura cutis extitit: causis quidem adiuuantibus (græcè συναιτίοις id est concausis) his fabricatum: causa verò maximè principali, intelligentia inquam, eorum quæ postea erunt, gratia effectum. Quod enim aliquando ex viris mulieris, & aliæ feræ gignendæ erant, opifices illi nostri sciebant. Et sanè etiam, quod vnguium vsu multis pecudibus ad multa opus foret, cognoscebant. Quare in hominibus statim, dum eos gignerent, vnguium generationem subfigurarunt. Hac sanè ratione hisque occasionibus cutim, pilos, ac vngues in extremis membris genuerunt.

GALENVS.

D

* * *

propositis particulis: cutis verò ita eorum radices complectitur, vt gingiuæ dentes, & sanè vngues subiectis venis apertè connascuntur. Quare non ex osse solo, neruoque & cute, sed etiam ex carne, vena, membranis, & ligamentis, vngues conflatos fuisse quicunque vult, opinari potest. Sed de his, tum in alijs quibusdam, tum in tertio de dissectione Hippocratis libro, copiosius dictum est.

PLATO. II.

Quoniam autem omnia mortalis animalis membra, & partes connata erant, ipsumque in igne, & spiritu vitam habere ex necessitate cõtingebat, atque ob hæc ab ijs liquatum. vacuatumque deficeret, præsidium huic Dei machinantur. Quippe humanæ naturæ naturam quandam cognatã alijs ideis, ac sensibus miscentes,

ita

ita vt aliud animal ſit, plantant. Talia ſanè nunc ſunt domeſticæ arbores, & ſtirpes, & ſemina: quæ nunc ab agricolatione conſita, mitia erga nos ſeſe habent: quondam verò ſola erant agreſtium genera, domeſticis nimirum antiquiora. Quicquid igitur τοῦ ζῆν, id eſt viuendi eſt particeps, iure ſanè ζῷον (quaſi vitale dixeris) id eſt animal, rectiſsimè appellari poteſt. Id autem, quod nunc dicimus, tertiæ eſt particeps ſpeciei animę, quam inter phrenas (ideſt mentes, ſeu ſeptum tranſuerſum) & vmbilicum locari ſermo eſt: cui nulla prorſus, aut opinio, aut ratio, aut mens ineſt, ſed ſenſus ſuauis, & triſtis cum cupiditatibus coniunctus. Omnia ſiquidem continuè patitur. Quia verò ipſa in ſe ipſa circa ſe ipſam verſa fuit, externum q; repudiauit motum, proprio verò eſt vſa, idcirco eam huic naturam non tribuit generatio, vt perſpiciendo ſuorum aliquid conderet. Quamobrem viuit quidem (græcè ζῇ) nec eſt ab animali (græcè ζῷου) diuerſa: at ſtabilis, radicataque defixa eſt, propterea, quòd motu extra ſeipſam facto priuata fuit. E F

GALENVS.

Partes. i. μέρη omnia ea appellantur, quæ totum complent, vel in quæ totum diuiditur: priuatim verò membra. i. μέλη, animalium partes vocantur. Cum igitur hoc in loco Plato membra partibus oppoſuerit, aliam nobis ſignificati capiendi in vtroq; nomine ſuſpicionem intulit: ita vt quæ propriam habent circumſcriptionem, altero iſtorum nominum indicarit: quæ verò horum ipſorum ſunt partes, altero: vtro tamen alterutrum, haud dum firmiter aſſeuerare poſſumus: hoc ergo in nominibus, & ſignificatis quæſtionem habet, nihil ad rerum ſcientiam conferens. Sed iam nos potius videamus, quæ de rebus ipſis diſputat Plato, vbi ait. vitam noſtram in igne & ſpiritu ex neceſſitate eſſe. Nam cum quatuor ſint elementa, ex quibus ſingula, quæ generantur, ortum habent, ignis, terra, aqua, & aer: ex his materialiora quidem, terram & aquam: efficaciora verò præcipuèque in animalibus, ignem & ſpiritum eſſe, ab omnibus ferè conceſſum eſt. Id autem quod ab ijs gubernatur corpus, multas non ſolum vacuationes manifeſtas, ſed & ſenſu ignotas perſpirationes, & effluxiones habere eſt neceſſe. Ob hæc igitur nutrimento indiget, à quo id quod ex eius ſubſtantia digeritur, repleatur: atque huius nutrimenti cauſa Dei ſtirpes fabricarunt: quas etiam ſuperius probabili ratione ab ipſo animalia fuiſſe appellatas oſtendimus. Cum enim prius ſupponatur, animam eſſe principium motus, ſtirpesq; principium motus in ſe ipſis habere concedatur, animatæ illæ meritò nominabuntur. Animatum verò corpus ab omnibus vocatur animal. Quòd ſi etiam Ariſtoteles velit corpus ipſum, non ob id ſolum, quoniam animatum ſit meritò appellari animal, ſed ſibi opus eſſe vt ſenſibile addatur: ne hoc certè etiam ipſo ſtirpes deſtituuntur. Oſtenſum enim à nobis eſt in commentarijs de ſubſtantia facultatum naturalium, ſtirpes facultatem eam poſſidere, qua tum familiares ſubſtantias, à quibus nutriuntur, tum alienas, à quibus læduntur, agnoſcunt: ideoque familiares quidem attrahere, alienas verò auertere, atque propulſare. Ob id ergo, & ipſe Plato ſtirpes peculiaris generis ſenſus participes eſſe dixit, nam & familiare, & alienum agnoſcunt. Hæc igitur in Platonis orationem ſatis abundè breuibus à me dicta ſint. Supereſt autem, vt eorum mentionem faciamus, qui vnam aſſerunt eſſe animæ noſtræ ſubſtantiam, quæ tres facultates, rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem habeat: cum & ipſe etiam Plato, tum ſæpè aliàs (vt oſtenſum eſt) tum nihilo ſecius, in præſenti quoque oratione ſpeciem animæ ipſam concupiſcibilem eſſe dixerit: quæ haud aliam quidem in ſtirpibus, aliam verò in nobis, ſed eandem naturam habeat: atque in iecore ſedem obtinere, non in eodem profectò loco vbi iraſcibilis, & rationalis habitant: quod tamen rationi conſentaneum erat, ſi vnius ſubſtantiæ, tres illæ eſſent facultates, quemadmodum illi aſſerunt, qui cor eiuſmodi eſſe ſupponunt. Iure enim illi vnam ſtatuentes ſubſtantiam animæ, tres ipſius eſſe maximè generales facultates dicunt. Plato verò non eandem eſſe rationalis partis animæ ſubſtantiam, quæ eſt ipſius iraſcibilis, & concupiſcibilis, ſed inter ſeſe diuerſas aſſerit: ac ſæpius quidem rationalem cum iraſcibili pugnare: non nunquam verò iraſcibilem rationali aduerſus concupiſcibilem in corpore habitantem opitulari. Ipſe igitur totius noſtræ animæ ſimilitudinem, atque imaginem ad fabuloſa animalia reduxit: Qualem ſanè eſſe Chymæræ, Scyllæ, Cerberiq; imaginem poetæ fingunt. Nullum enim aliud, ex ijs, quæ in mundo nunc ſunt, inuenit, cui magis propriè, magisque accommodatè animam noſtram aſſimilaret. Haud abſimilis quoque, quæ ad aurigam, equoſque fit comparatio, eſt: ab ea tamen quam in nono de Republica libro tradit, ſuperatur, in qua animam noſtram compoſitis animalibus, qualis eſſe chymæra fabulatur, aſſimilari ait. Superius autem eius verba, vbi hæc ipſa narrat, G H

A narrat, appoſui. Maledicant igitur vt ſui moris eſt, ridentes ſimul, ac ſcurrantes, detrahentesque ſermoni noſtro, quaſi nos nugemur, ſi tres, quas demonſtrauimus, dicamus eſſe animas. Atque in cerebro quidem neruorum, voluntariorumque motuum, ac quinque præterea ſenſuum, principium eſſe: in iecore, ſanguinis, & venarum, nutriendique corpus, ac familiarem ſibi ſubſtantiã agnoſcendi: in corde, arteriarum, & innatæ caliditatis, pulſuſque, ac iræ. Plato verò hæc ipſa principia, ſpecies animarum appellat, non vnius ſubſtantiæ facultates duntaxat. Itaq; cum diuerſæ ſint earum ſubſtantiæ, ac ſingularum in ſingulis prædictis viſceribus ſit habitatio, ei qui facultates tres nos habere vult, principia non animas appellare liceat. Nequaquam enim medicinæ, vel philoſophiæ officiemus, ſi animal à tribus principijs gubernari dixerimus, quorum alterum in cerebro, in corde alterum, tertium in iecore, ſedem obtineat. Sed de his ſatis. Quod verò in huius orationis fine ſcripſit, conſideremus, quonam pacto de ſtirpibus, & de tertia animæ ſpecie
cc dictum ſit. Quia verò ipſa in ſe ipſa circa ſe ipſam verſa fuit, externumq; repudiauit motum, pro-
cc prio verò eſt vaſa, idcirco eam huic naturam generatio non tribuit, vt perſpiciendo ſuorum ali-
cc quid conſideret. Videtur enim mox contraria huic dicere, vbi ait ſtabilem, radicatamque defixam eſſe, propterea quòd motu extra ſe ipſam facto, priuata fuerit. Verum in priori oratione de
B proprio ipſius motu intelligendum eſt, quemadmodum etiam re vera eſt, in quo ex pauciſſimo ſemine incipiens, tum ſurſum in aërem eleuatur, tum deorſum radices protendit, atque ex terra nutrimentum trahit, ipſumq; ad extrema vſque germina aſportat, omniumque particularum incrementum longiſſimè protrahit: ſed eo motu immobilem eſſe, qui ab aliquibus μεταβατικὸς. id eſt tranſgreſſorius appellatur: qui, dum nos ſitum permutamus, & ex alio loco in alium cedimus, fit. Nam ſecundum hunc motum ipſam ſtabilem radicatamque eſſe dixit. Atque hanc ego certè explanationem feci, atticorum nimirum exemplarium editionem ſecutus. Nam cum in alijs codicibus ſcriptum compererim, διὰ τὸ τῆς ἐξ αὐτοῦ κινήσεως, id eſt propterea quòd motu à ſe ipſa facto, deeſſe ω elementũ exiſtimaui: atque hoc modo Platonem ſcripſiſſe, διὰ τὸ τῆς ἔξω ἑαυτοῦ κινήσεως, id eſt propterea quòd motu extra ſe ipſam facto, vt tranſgreſſorium duntaxat motum ſtirpibus denegauerit.

PLATO. III.

C Cum hæc ſanè omnia genera ſuperiores illi nobis inferioribus ad nutrimentũ plantaui ſſent, corpus noſtrum canalibus diduxerunt, ſecantes veluti in hortis riuos, vt tanquam ex fluento inuadente irrigaretur.

GALENVS.

Stirpes ait à Deis factas fuiſſe nutriendi corporis noſtri cauſa. earum nimirum fructibus, ac particulis in noſtrum ventriculum deuoratis, ac deinde in minutas portiones confractis, vt poſtea per venas ſimili diſtribuerentur modo, quo per riuos hortorum fit: per ipſos etenim riuos aqua fertur, atque ad propinquas in hortis partes diſtribuitur, tantumque interualli hortorum cultores inter riuos faciunt, vt per id totum aqua, quæ per diſtributionem intermedios locos ex riuis irrigatura eſt, meare valeat.

PLATO. IIII.

D Ac primum quidẽ riuos occultos ſub conflatione cutis, & carnis, duas venas, dorſales diuiſerunt, ſicut geminum erat corpus, in dextris nimirum, & ſiniſtris.

GALENVS.

Ab hortorum exemplo riuorum appellationem ad venas tranſtulit. Maximarum autem venarum meminit, à quibus omnes, quæ in toto exiſtunt corpore, oriuntur: atque ipſas dorſales appellauit, quòd per totum dorſum ab internis nimirum ipſius regionibus extendantur. Vera igitur loquitur, cum vaſa quæ in dorſo ſunt, venas appellat, quandoquidem ita etiam ab antiquis (vt ſuperius dictum eſt) arteriæ vocabantur: haud vera autem dicit, cum duas iccirco eſſe venas ait, propterea quòd geminum ſit corpus. Neque enim eiuſdem ſpeciei ſunt dorſi vaſa, cum alterum tenuem, ac pulſu priuatam habeat tunicam: alteram pulſantem, venæque craſſitudine quincuplam, vel ſexcuplam, quam peculiariter arteriam vocamus. Neq; etiam ex ijs, alterum in dextris, alterum in ſiniſtris eſt partibus, ſed ambo in media ſpina ſunt: ab vtraque verò horum regione neruus vnus, alter in dextris, alter in ſiniſtris eſt.

E

PLATO. V.

Has autem ad ſpinam demiſerunt, genitalemque medullam mediam comprehenderunt, vt & hæc quam maximè pullulet, & bene fluens hinc ad alia quaſi ad decliue effuſio facta, irrigationem æquabilem præbeat.

GALENVS.

De genitura non longè à principio.

Genitalem medullam, dorſalem intelligit, cum & hæc vetus ſit opinio, ita vt Hippocrates quoque eiuſdem particeps fuiſſe videatur ‖ : cenſuiſſeque à dorſali medulla ſemen ad maris pudendum deſcendere. Pullulare verò medullam dixit, ob ſanguineorum vaſorum communicationem, quòd ſcilicet ab ipſis nutriatur. Atque ad alias corporis particulas hinc ait æquabilem fieri effuſionem, tanquam ſanè ex magnis riuis in exiguos diſtributio fiat. Illud autem, quaſi ad decliue, non admodum rectè dictum eſt: quippe ſublimiores partes, quæ circa collum, & caput ſunt, per venas nutriuntur. In ijs igitur ſpinæ partibus, quæ infra ſeptum tranſuerſum ſunt, tum vena caua, tum maxima arteria, ſuper vertebras incumbit, quouſque ad eiuſdem ſpinæ finem in crura ſciſsio facta fuerit: in eis verò partibus, quæ ſupra ſeptum ſunt, arteria quidem longiſſimè ſuper vertebras exporrigitur: ipſi verò vena parua adiacet, eas duntaxat infernas thoracis partes, quæ in octo notis coſtis habentur, nutriens. Reliqua autem tota ſpinæ pars ſuperior, in qua, tum quatuor primæ thoracis vertebræ, tum ſupra has etiam ad caput vſque vniuerſæ colli vertebræ ſitæ ſunt, nec arteriam, nec venam ſibi incumbentem habet. Sed nil (vt dixi) mirum eſt ea, quæ ex anatome conſpiciuntur ignoraſſe Platonem, quemadmodum etiam Homerum, qui ita cecinit. F

Totam venam abſcidit enſe,
Perpetuò quæ ad ceruicem per dorſa recurrit.

PLATO. VI.

Poſt hæc partiendo circa caput venas, easq; mutuò contrarias implicando, has quidē à dextris ad ſiniſtra, illas verò à ſiniſtris ad dextra corporis, inclinando trā ſmiſerunt, vt capiti ad reliquum corpus vnà cum cute vinculum foret, quādoquidem caput ſecundum verticem à neruis in orbem non comprehendebatur: atq; etiam vt ſenſuum affectio, ab vtriſque partibus in totum corpus diſtribueretur. G

GALENVS.

✻ ✻ opinati ſunt nonnulli venas partim ex ſiniſtris ad dextra, partim ex dextris ad ſiniſtra, pertranſire. Qui verò diligentius diſsecant, extrema *ipſarum ſibi* mutuò vniri aſſerunt: quod & in alijs etiam corporis partibus fit. Vinculum autem capitis, earum eſse vnitionem exiſtimat, vera nimirum ipſius vincula ignorans, maxima quidem, quæ in futuris ſunt: exigua verò, tum membranam pericranion, id eſt quæ circa caluariam eſt, tum ipſam cutim: quæ adeo omni alia corporis cute craſſior eſt, vt in interna ipſius parte quædam carni ſimilis ſubſtantia tenuis exporrigi, circaque caluariam conſtringi videatur. Neruum verò in capite nullum eſse ait, tum quia nec voluntarios, nec copulatiuos, in capite eſse ſciat: tum etiam quia venarum cum neruis mutuam fieri complicationem ignoret. Cum verò dicit, vt ſenſuum affectio in totum corpus diſtribueretur: hoc etiam in loco haud intelligit ſenſus per neruos fieri: quod ſanè etiam nonnulli (vt diximus) ex antiquis medicis ignorarunt. H

PLATO. VII.

Hinc iam aquæductum eiuſmodi quodam modo præparauerunt: quod facilius perſpicimus, ſi hoc prius inter nos conceſſum fuerit, omnia quæ ex minutioribus conſtituta ſunt, continere maiora, quæ verò ex maioribus, minora non poſſe: Ignem autem præ omnibus generibus, minutiſſimis conſtare partibus: vnde per aquam, & terram, & aerem, & quæ ex eis conſtituuntur, permeat, ipſeq; à nullo contineri poteſt Idem de noſtro ventriculo cogitandum, qui eſculēta, & poculenta

A lenta cum in ipſum ingeſta fuerint, continet: ſpiritum verò, & ignem, qui longè tenuiorum ſunt partium, quàm ſit eius conſtitutio, continere haud poteſt.

GALENVS.

Aquæductum ſanguinis lationem per venas, nomine à prædicta ſimilitudine ad riunm tranſlato appellauit. Nunc verò aquæductum fieri ait, ſpiritu vnà cum caliditate per ventrem exeunte, ac deinde ſecum confractas nutrimenti particulas aſportante. Caput porrò orationis breuiter ſimul, ac clare mihi dictum eſt. Quæ verò deinceps dicuntur intellectu dictuque difficilia ſunt. Ob idque poſtquam eorum explanationem in ſingulis dictionibus fecero, in vnum deinde compendium omnia colligam.

PLATO. VIII.

B His igitur Deus ad irrigationem à ventre ad venas traducendam abuſus fuit.

GALENVS.

His inquit præmemoratis ſpiritu, & igne. Ignem enim nominat caliditatem, quæ eſt in corpore, appellationem ab elemento ipſum generante transferens: omne enim calidum per ignis exuperantiam tale euadit.

PLATO. IX.

Qui rete ex aere, & igne, cuiuſmodi naſſæ ſunt, contexuit.

GALENVS.

Piſcatorum naſsas intelligit, quas niſi quis prius conſpexerit, ea quæ dicentur, mente conſe-
C qui non poterit, explicatu difficilia cum ſint, ita vt ab ijs etiam, qui naſsas inſpexere, vix intelligi poſſint. Siquis igitur maritimum domicilium habet, inſpicere prius conetur piſcatorum naſsas: Si verò in locis ſolitarijs montuoſiſq; habitet, at ſaltem calathos omninò vidit. Vbi igitur hos in baſi quidem haud eſse perforatos, ſupernum verò oſculum reſeratum habere excogitarit, animum ſic deinde dicendis adhibeat.

PLATO. X.

Quæ duplices ad introitum naſſulas habeant.

GALENVS.

Excogitata abs te piſcatorum naſsa, quod certè eſt rete ſimplex, in ipſa quoque alteram naſſam excogitato, magnæ quidem adſimilem, paruam tamen contineri: quod porrò eſt rete ex funibus confectum (quemadmodum etiam totum rete fit) à baſi magnæ naſsæ exporrectum, cuius
D ſanè retis baſis quidem illi communis exiſtat, oſculum verò non ad æqualem cum continenti naſſa altitudinem aſcendat, ſed multo deſinat inferius. Profectò ſi ſimplicem naſsulam animo excogitaris, iam facilius duplicem contemplari poteris: qualis enim eſt ea, quam explicui, talem, & aliam in magna naſsa contentam ſupponas. Cumq; hanc mente conceperis, excogitato deinde ab vtraque naſsula plexum quendam oblongum, ad oſculum vſque magnæ naſsæ extendi: ita vt piſcibus in magnam naſsam introitus bipartito ſit ſciſsus, cum hi per vnum, alij per alterum ingrediantur. Ita enim eueniet, vt quamuis à ſe ipſis mutuò diſgregati ſint piſces, in vna tamen magna naſsa contineri dicantur: quemadmodum ſanè, & alio modo, non in vna, quòd paruæ ſint naſsæ, quas ἐγχύρτια, ideſt naſsulas, appellauit.

PLATO. XI.

Quarum alterum rurſus bi cornum pertexuit.

GALENVS. E

Quarum inquit naſſularum alteram bicornem pertexuit. Communi autem vſu à Græcis lignũ bicorne, ideſt δίκρουν nominatur, quod duo habeat cornua: Plato verò nunc appellationem ad alterius naſſulæ oſculum tranſtulit, vt & ſecundum hoc ipſum eam duplicem animo contemplemur. Obſcuritatem verò attulit, cum hoc haud neceſſariò, in hac ſermonis parte interpoſuerit: clarior enim foret interpretatio, ſi nos diceremus, quemadmodum duas naſſulas oratione deſcripſit, ita & oſculum in ſuperiorem extremitatem magnæ naſſæ terminari. Vult enim, vt nos excogitemus cutim, quæ extrinſecus vniuerſo corpori circumiecta eſt, externę circunſcriptioni magnæ naſſę comparari: quæ verò veluti naſſulæ vacuæ in ipſa continentur, eis, quæ intra cutim habentur regionibus, ei inquam quæ ſecundum ventrem, & ei quæ ſecundum thoracem eſt, aſſimilari. Duæ enim ex ijs veluti tibiæ, ad oris capacitatem aſcendunt. Mihi verò in præſenti, clarioris ſermonis cauſa, excogitato nequaquam in corpore linguam contineri. Ita enim, quæ in internam oris capacitatem aſcendunt tibiæ, erunt tum ſtomachus ſeu gula ex ventre: tum aſpera vocata arteria perueniens ad pulmonem, in ea locatum cauitate, quæ alteri naſſulæ ſimilitudine reſpondet. Per hoc igitur oſculum reſpiratio fit ingrediente, & egrediente ſpiritu: per alterum verò comeſta, & bibita F
in ventriculum feruntur. Plurima igitur vtrarumque materiarum portio hoc pacto per os in corpus intrat. Paucam verò portionem per vtrumque oſculum, tum ſpiritus nimirum in ventrem, tum potionis in aſperam arteriam pulmonemq; ſimul ingredi vult. Cum ipſe ergo (vt diximus) interpoſuerit alteram naſsularum bicornem oſſe, obſcurum ſermonem, cuiq; etiam ſimul contradici poſſit, efficit. Reſpirationem enim aſperæ arteriæ bicornem eſse dixit. Hoc autem dixit, propterea, quòd reſpiratio nobis per nares, & os fit, manducatio verò, & potio, per os ſolum. Quo in loco accuſandi cupidos contradicturos dico. Neque enim alterius duntaxat naſſulæ eſſe dicent duo illa extrema, tum quod per nares, tum quod per os peruenit: quandoquidem os, alterius etiam naſsulæ, quæ ad ventrem eſt, communis eſt terminus. Poſtquam ergo iam mente conceptum eſt, quæ nam in noſtro corpore magnæ naſſæ, & quæ naſſulis aſſimilari velit, ad alia deinceps eius verba accedendum eſt.

PLATO. XII.

Et ſanè à naſſulis veluti funes circulo per totum corpus ad retis extrema ex- G
tendit.

GALENVS.

Non amplius in piſcatorum naſſis reperitur, quod huic proportione reſpondeat: neque enim in naſsulis ad continentis circuli rete funis vllus peruenit, cum tota illa intercapedo vacua ſit: in nobis autem ex ventre, & ex pulmone in totum corpus ad extremos vſque fines foras pertingunt venæ, & arteriæ, quas funibus, qui à naſsulis ad naſsam extenduntur, aſſimilat.

PLATO. XIII.

Interiora igitur ipſius tricæ omnia ex igne, naſſulas autem, & receptaculum aeri ſimilia conſtituit.

GALENVS. H

Tricam, ideſt πλόκαμον hoc loco intelligit totum id, quod naſsæ adſimile eſt, quandoquidem, & intra ipſam etiam naſsulæ ſunt. Vult autem regionem ab his contentam aeri magis, quàm igni ſimilem eſse: atque ideo ſermoni de tota trica habito adiecit, naſsulas, & receptaculum aeri ſimilia eſse. Naſsulæ igitur tales manifeſtò ſunt: vacua enim regio ſolum aerem continens, in thorace apparet. Receptaculum verò cur aeri ſimile dictum fuerit, non item manifeſtum eſt. Videtur enim receptaculum, ideſt κύτος tanquam * vnum corpus, de quo ſermo habeatur, ſignificare: hoc autem cum ſuperioribus pugnare videtur. Siquidem totum naſsæ receptaculum, tum à naſsulis repletur, tum ab eo etiam vniuerſo quodcunque ab his in externam naſsæ circunſcriptionem peruenit: quò * quoſdam veluti funes extenſos à nobis excogitandos eſse inquirat, quos arterias venasque eſse diximus. Relinquitur ergo ſanè, vt prędictum naſsæ receptaculum, extrinſecum ipſius rete eſse excogitemus: hoc enim eſt, quod totam naſsæ ſubſtantiam conſtituit. Quemadmodum igitur, quod inter naſsam, & naſsulas erat, ab igne exuperari mente concipiebamus: ita etiam excogitari eſt neceſse extrinſecum ipſius finem ab aere exuperari, quod ſanè eſt tricæ receptaculum: hoc autem in nobis vtique ſit cutis,

A tis, frigida existens, vt ea, quæ continentur * huic ambienti aeri continua. Ac mihi sanè videtur velle Plato circunstantem aerem, qui tricæ contiguus est, portionem quandam nassæ esse: in hocque præcipuè eius sermo obscuritatem habuisse videtur. Si enim hoc supponatur, omnia sibi mutuò insequenti consentient oratione, ad quam accedere iam tempus est.

PLATO. XIIII.

Cumq; hæc assumpsisset, animali formato, hunc in modum circumposuit.

GALENVS.

Prædicta ab ipso trica re vera quidem, ac per se ipsam non est: eius autem intelligentia per seipsam sumpta, ita postea animali accommodanda est.

PLATO. XV.

Alteram quidem nassularum in os traiecit: sed cum & hæc ipsa duplex sit, hãc per arterias in pulmonem, illam apud arterias in ventrẽ demisit: Alteram verò par-
B titus, vtranq; ipsius partem per narium canales communem emisit; vt quãdo non per os iret altera,† ex hac omnia etiam illius, fluxu replerentur. Reliquũ verò receptaculum nassæ circa corpus, quodcunq; concauum in nobis est, circumplãtauit.

† Sic habẽt antiqui cod. ex impressis autẽ ita verti potest. Ex hac omnia etiã illius fluenta replerentur.

GALENVS.

Non hoc dicit, quòd alteram nassularum in os demisit: nam deinceps vtique dixisset, alteram verò in hanc corporis partem demisit: sed ad tricam referens dixit: vt tota eius oratio talis, vt dixi, sit. Tres cum sint tricæ, vna quidem, quæ magna nassa est: duæ verò reliquæ, quæ veluti nassulæ sunt: nasularum quidem tricam in os traiecit: sed, cùm & hæc duplex sit, per arterias quidem alteram * ipsarum in pulmonem, apud arterias verò alteram in ventrem demisit. Cùm verò hæ ipsæ nasulæ duæ (vt dictum est) sint, alteram, quam sanę etiam prius bicornem esse dixit, partitus, vtranque ipsius partem bipartito per canales narium communem emisit. Cur igitur communem ipsam dixerit, ipse mox declarat inquiens: vt quando non per os eat altera, ex hac
C omnia etiam illius, fluxu repleantur. Nam respirationis nasula bicornis facta, duas spiritus vias habuit, vnam per os, alteram per nares, quæ sanè, cùm fluxionis introitus, qui per os fit, aliquò modo quieuerit, illius vicem suppleat. Hæc cùm de nasulis dixisset Plato, mox dicenda subiungit. Vocat autem ipsas radios, ideſt ἀκτίνας ab exuperante substantia ignis.

PLATO. XVI.

Et sanè vniuersum istud, aliàs in nassulas confluere molliter, nempe cum aer sit, fecit: aliàs verò à nassulis quidem sursum fluere, per rete verò ipsum, tanquam rarum sit corpus, tum intrò mergi, tum rursus extra emergere: internos verò ignis radios extensos subsequi in vtranque partem migrante aere: Hocq;, donec mortale cõsistit animal fieri nunquam cessat. Huic sané generi ἀναπνοὴν, & ἐκπνοὴν, i. respirationem, & expirationem, nomen ab eo, qui cognomina posuit, fuisse positum dicimus. Omne autem, hoc opus, omnisq; nostra hæc affectio, corpori, quod
D irrigatur, & refrigeratur, nutrimentum, & vita existit. Quando enim intrò forasq; respiratione eunte internus ignis connexus sequitur: assiduè verò * diuisus, ventrem ingressus, esculenta poculentaq; sumpsit, ea certè liquefacit: ac in minutas particulas diuidens, per exitus, per quos ipse proficiscitur, traducens veluti ex fonte in riuos, ideſt venas, ipsa hauriens, fluere per corpus tanquam per canalem, venarum fluenta facit.

* διαιρούμενος est in antiquis impressi codices habẽt διαιωρούμενος, i. ad sublimia penetrãs.

GALENVS.

Cum in memoriam nobis suggessisset totam quidem istius corporis nasam ad ipsam cutim, quæ extrinseco aeri continua est, terminari, vult, vt nos excogitemus ipsam in se ipsam veluti nasulas duas, aeris regiones, alteram in ventriculo, alteram in thorace habere: totum verò id, quod inter has medium est, quod sanè est corpus, extensos ignis radios obtinere: quos, rationi consentaneum est, vt nos excogitemus per arterias, & venas extendi: & has ipsa esse vias

lationis ad vtraque tum ab interiori ad exterius, tum rursus ab exteriori ad interius. Duas enim esse motiones sibi mutuò contrarias toti ipsi tricæ ait, aliquādo quidem à nasulis ad ambientem vsque aerem, aliquando verò ab ipso aere ad nasulas latione facta. Quo nam verò pacto motiones istæ fiant, & quid causæ sit, cur nunquam quamdiu corpus viuit, cessent, in sequentibus dicet. Verum in præsentia totum propositum sermonem in summam redigēs, motionem, quæ ad vtraq; fit, duplicem tum respirationem, tum distributionem nutrimenti, facere ait. Ego sanè totum id, quod ex inspiratione, & expiratione componitur, ἀναπνοὴν, i. respirationem, antiquos ferè omnes medicos secutus, appellaui. Nam cùm tres sint res, vna quidem ipsa, quæ introrsum fit, latio, secunda quæ extrorsum, & tertia, quæ ex ambabus composita est, eam quidem spiritus lationem: quæ introrsum fit, εἰσπνοὴν, idest inspirationem, nominant: quæ verò extrorsum, ἐκπνοὴν, i. expirationem, quod autem ex ambobus componitur, ἀναπνοὴν, idest respirationem, appellant. Plato verò inspirationem ipsam, respirationem nuncupauit: quam in arteriam, asperam scilicet, & ventrem fieri ait. Sed cum illa, quæ extrorsum fit spiritus latio, eam, quæ introrsum, in ea regione, quæ media inter nasulas, & magnam nasam sita est, suscipiat, secari quidem aserit cibos, & potus secundum eam, quæ introrsum fit motionem lationemq; totius tricæ, simul verò in corpus asportari caliditate, & spiritu confractos. Hoc sanè est, quæ à medicis ἀνάδοσις, idest distributio, appellatur, nutrimento per venas, & per arterias in omnes corporis particulas migrante. Quid autem causæ sit, vt spiritus, & caliditas vltrò, citròq; ferantur, post hæc ipse declarat.

PLATO. XVII.

Sed rursus inspiciamus, quibus causis respirationis affectio in hunc modum, qualis nunc est, facta fuerit, hoc sanè pacto. Cum vacuum nullū sit, in quod quippiam ex ijs, quæ feruntur, possit ingredi, spiritus autem è nobis extra feratur omnibus iam posthac perspicuum est, eum non in vacuum ferri, sed proximum sibi è sua sede pellere: idq; quod pellitur, proximum etiam sibi extrudere: Atque secundum hanc necessitatem quicquid in eam sedem, vnde spiritus exijt, circumtruditur, illuc ingrediens ipsamq; replens, spiritum comitari: totumq; hoc instar rotæ, quæ circumagatur, fieri, propterea, quòd vacuum nullum est. Quare cum pectus pulmoq; extra spiritum emiserint, rursus replentur ab aere corpus ambiēte, qui intrò per raras carnes mergitur, & circumtruditur, rursus verò aer reuertēs, ac per corpus foras exiens, intrò respirationem per oris, ac narium transitum circumpellit.

GALENVS.

Nec in hac oratione Plato primam respirationis causam attulit: quandoquidem, postquā hanc absoluit, aliam deinceps subsequentem inchoat, in hunc sanè modum. Causa verò principij horum hæc statuenda est, &c. Quid igitur est id, quod in præsenti oratione dixit? Ipsum profectò dogma circumpulsionis, quæ græcè περίωσις nominatur, per quam vult respirationem perspirationemq; fieri. Ita autem nos appellamus, respirationem quidem, idest ἀναπνοὴν, vt diximus, quòd ex inspiratione, & expiratione componitur, quando per os ambo fiunt: perspirationem verò, idest διαπνοὴν, quando per totum corpus. Hæc autem vtraque per circumpulsionem vult fieri, hoc pacto. Cùm per os expiramus, accipere ait, vt qui ex nasulis extra fertur aer, externum aerem per cutim solam circumpellat: hic autem ad corporis profundum feratur, locum aeris extra per expirationem migrantis replens. Cùm verò rursus aer in externam lationem, quæ per cutim fit, impetum facit, tunc accidere ait, vt à calore, & spiritu circumpulsus rursus externus aer, per os intra corpus feratur. Quæ sanè res (vt diximus) inspiratio magis propriè, quàm respiratio, à medicis appellatur. Hanc autem circumpulsionem fieri ait Plato ob vacui necessitatem, idest ne vllus locus vacuus euadat: ob idque, cùm aliquid vacuatur, quod continuum est, sequitur, illius locum replens: quod Erasistratus τὴν πρὸς τὸ κενούμενον ἀκολουθίαν, idest, consecutionem ad id, quod vacuatur, nominare solet.

PLATO. XVIII.

Causa verò principij horum hęc statuenda est. Omne animal omninò in sui ipsius sanguine venisq; caliditatem, veluti in se ipso fontem quendam ignis existentem, habet: quod sanè reti nassæ assimilatum, per medium extensum, totum ex

igne

A igne contextum est: reliqua verò, quæcunque extrinsecus sunt, ex aere. Calidum sanè secundum naturam in suam regionem foras ad id, quod sibi cognatum, migrare est faciendum. Cum verò duo sint exitus, alter per corpus extra, alter per os, ac nares, quando in alteram partem impetum fecerit, id, quod in altera parte est, circumpellit: quod verò circumpulsum est, in ignem incidens calefit: quod exit, refrigeratur. Cum verò mutatur calor, & quæ ad alterum exitum sunt, calidiora fiunt, rursus quod illud vergit, calidius multò redditum, ad suam ipsius naturam migrans, id, quod in altera parte est, circumpellit: id autem eadem patiens eademque retribuens semper, circulo ita huc illucq; fluctuans, ab vtrisque elaboratum, respirationis, & expirationis generationem præbet.

GALENVS.

B Apertè nunc indicauit regionem, quæ in profundo est: in qua ait esse veluti nassam, quam fontem quendam ignis nominauit, Hanc igitur caliditatem sursum ad id, quod sibi cognatum est, recurrere vult. Si igitur per oris exitum * caloris impetus migrare præuertit, calidum tunc internis cauitatibus aeri similibus incidens, simul quidem secare, ac frangere ea, quæ in ipsis cauitatibus sunt, simul verò extrinsecum quoque aerem secum trahere ait: sicq; vsu venire, vt id, quod circumpulsum est, in calidum, quem sanè ignem appellauit, incidens, calefiat, quod verò exit, refrigeretur: tuncq; rursus sequi, vt, quod calefactum est, ad sibi cognatum per externam superficiem recurrat; hocq; rursus consequatur is, qui in internis cauitatibus est aer, quem mox sequatur is, qui vsque ad os est, quem rursus externus consequatur ab exeunte circumpulsus, propterea, quòd nulla sit vacua regio, quæ id, quod à corpore extra fertur, suscipiat: & in hunc modum rursus pulsus propinquus aer, ipse quoque rursus continuum pellat, ac ille itidem eum, qui post ipsum est, quousque tandem in hac circumpulsione rursus in id, quod ex corpore vacuatur, aer ipsum replens aduenerit. Eiusmodi igitur motio non exquisitus fit circulus, qui ad eadem omninò circumfertur, sed, vt ipse dixit, ἔνθα καὶ ἔνθα, ideſt huc, & illuc. In hocq; Platonis opinio ab
C Academicorum opinione, non quemadmodum Erasistratus dicebat, differt. Volunt enim Academici, vt per exquisitum circulum perpetuò aer ad eadem, ac simili modo circumferatur: Plato verò non per circulum vult, sed per duos, vt quispiam dicat, semicirculos, qui contrario inter se motu moueantur.

PLATO. XIX.

Quin etiam causæ affectionum, quæ ob cucurbitulas medicas fiunt, atq; etiam potiones, & eorum insuper, quæ iaciuntur, siue emittantur sublimia, siue deferantur humi, hoc vtique modo tractandæ sunt: soni præterea, quicunque veloces, & tardi, acuti, & graues videntur, aliàs dissoni propter motionis, quæ in nobis ab ipsis fit, dissimilitudinem, aliàs consoni propter similitudinem. Priorum enim velociorumq; motiones cessantes, iamq; ad simile progressas, tardiores ip-
D si soni illis deinceps sese offerentes, illasq; mouentes, comprehendunt: comprehendentes verò, non aliam quidem motionem inijciendo perturbant, sed tardioris lationis initium secundum principium velocioris inducunt. Dum verò desinentis motionis similitudinem accommodant, vnam ex acuta, & graui affectionem contemperant. Vnde insipientibus voluptatem, sapientibus gaudium, propter diuinæ harmoniæ imitationem in mortalibus lationibus factam tribuūt. Eadem ratio est de omnibus aquarum fluentis, de fulminum casu, de admirabili illo electri attractu, herculeorumq; lapidum. Horum enim omnium nulli sanè attractio vnquam est. Sed, cum vacuum nullum sit, & hæc sese mutuò circumpellant, concretaq; & discreta in suam sedem singula transeuntia migrent, diligenti harum rerum inuestigatori ex mutuis affectionibus complicatis omnia admirabiliter fabricata esse videbuntur.

E

Haud scio, quid Platoni visum fuerit, vt circumpulsionis opinionem potius, quàm attractionis, eligeret, in hoc solo ferè ab Hippocrate discrepans. Nam, quòd respiratio, siue ea opus, siue affectio appellanda sit, non per circumpulsionem fiat, Erasistratus Hestiæi opinionem redarguens, ostendit. Quòd verò attractio inter naturales facultates maximè præcipua sit, tum in tractatione de facultatibus naturalibus in primo statim libro ostensum est, tum etiam apertè ante, quàm longioribus verbis demonstretur, apparet. Siquis enim tibiam, vel arundinem vtrinque perforatam in aquam demittens, ore aerem attraxerit, aqua succedet, nulla alia causa actionem quæ per attractionem fit, præcedente. Nostrum igitur est, quotiescunq; voluerimus, labris arundini circumiectis, quod in ea continetur, ad nosmet ipsos trahere. Quòd si hoc nostrum opus non est, haudquaquam principium motionis ex nobis habebit. Sed, & ipsum etiam cor, quamuis ex animali extractum fuerit, motionem diutius tum in contractione, tum in dilatatione seruare conspicitur. Quemadmodum igitur in contractione cor id, quod in se ipso continetur, apertè exprimit, ita quoque in dilatatione, quod repleturum est id, quod eo vacuatum fuit, attrahit. ✻

F



GALENI DE MOTV THORACIS, ET PVLMONIS.

G

ARGVMENTVM LIBRI.

Pulmonem vacui consequentia à thorace moueri. Fragmentum fortasse eorum trium librorum, quorum meminit octauo de Anat. administr. capite secundo.



Vòd quidem thorax moueatur, manifestum nobis fit, & tangentibus manibus, & oculis videntibus. Quæritur autem, an vtique motus aliquis sit pulmonis, vel non. Demonstratum igitur est nullum innatum habere motum, sed semper indigere thorace ad motum. Si enim nullam est inuenire dispositionem, in qua thorace immobili manēte moueatur pulmo, sed etiam in aliquibus thoracis motibus pereuntibus, simul pereat pulmonis motus, non tamen in illis, qui pulmonis, iste, qui thoracis, non vtique inconuenienter æstimabit quis, indigere pulmonem thorace, ipsumq; esse principem motus. Ex eo verò, quòd neque ligationem aliquam, neque aliam infallacem apprehensionem habet thorax, qua vtens trahat pulmonem, quando dilatatur, sed absoluti sunt vndecunque inuicem (pendet enim pulmo apud inferiora thoracis, sicut vas in tecto idoneè continente ipsum,) difficilis, & difficilè excogitabilis fit causa motus eius. Quare igitur nos, inquantum possumus, eius causas dicamus. Dilatato quidem thorace condilatatur omninò pulmo, à consequentia quæ ad id, quod euacuatur, attractus, sicut in fistulis, quæ in aquam mittuntur, est videre: si enim mulseris ore aerem, attrahes aquam, per longam valdè multoties viam præter naturam sursum allatam: tãtam enim habet vim consequentia, quæ ad id, quod euacuatur. Et super quid aliud est idonea ad replendum, id, quod est in medio organorum: &, si immobilis maneat pulmo, quod in magnis vulnerationibus accidit, apparet tamen euidenter ab extra aer ad vacua thoracis attrahi propter leuitatem potens: quare eo anticipante comprehendere regionem dilatationis, rationabiliter pulmo quiescit. Qualiter autem moueretur, causa mouente ipsum pereunte? erat autem ipsa in non perueniendo in medio aliquid: sic enim est thorax pulmoni princeps motus.

H

GALENI

A



GALENI VOCALIVM INSTRVMENTORVM DISSECTIO,

B

Auguſtino Gadaldino medico Mutinenſi interprete.

ARGVMENTVM LIBRI.

Fragmentum hoc, cuius etiam alibi Galenus meminit, cauſam, materiam, inſtrumenta, locum, & modum vocis declarat.

Quæ cognouiſſe debet is, qui ratione curare debet. CAP. 1.

C



Vicunque ratione curaturus eſt, cauſa is tum actionum noſtrarum ſecundum naturam, tum affectionum præter naturam, vt illas ſeruare, has è corpore eijcere poſſit, cognouiſſe debet: modos item, ſecundum quos actio fit: & locos, in quibus: & inſtrumenta, per quæ. Actionis enim modus cognitus promptiores ad opitulandum nos reddit, nimirum, qui naturæ opera imitemur. Locus localiter opitulari nos docet: ne illeſis particulis, tanquam affectis fruſtra moleſtiam inſeramus, affectisq; tanquam ſanis non opitulemur. Inſtrumenta denique propriam, ac ſuam cuiuſque oſtendunt curationem: alio enim modo neruus affectus, alio chartilago: & alio carnoſum genus curatur.

Ad vocem generandam, quæ artificis, quæ materiæ inſtrumenti, & quæ loci rationem obtineant. CAP. 2.

D QVoniam igitur neceſſarium eſſe videtur, actiones, ac earum cauſas, inſtrumenta præterea, locos, ac modos cognouiſſe: oportet etiam cognoſcere, à quibus vox, quæ noſtri corporis eſt opus, fiat: vt ipſam, dum adeſt, ſeruemus, roboremusq;. Cum autem omnia in hac vita à tribus his fiant, artificibus, inſtrumentis, & materia: vt exempli cauſa faber ærarius, ipſe quidem eſt artifex; inſtrumenta, malleus, & incus: materia, ipſum æs: effectus, ſeu apoteleſma, eſt lebes verbi gratia, vel concha: eandem proportionem in operibus, quæ in nobis fiunt, eſſe neceſſarium eſt. Ac rationem quidem cauſæ, & artificis obtinent ipſæ, quæ in nobis ſunt, facultates: quarum aliæ naturales, aliæ animales exiſtunt: naturales citra noſtram electionem vniuerſæ agunt: ex animalibus verò actionibus plurimæ ſecundum noſtram voluntatem perficiuntur: ita vt ſiquid opus eſt animale, id non omninò ſecundum noſtram voluntatem ſit: ſi verò aliquid ſecundum noſtram voluntatem fiat, id omninò ſanè facultatis animalis fuerit. Quoniam igitur omnis voluntaria actio ab animali facultate peruenit, arbitratu verò noſtro vocem tum edimus, tum ſiſtimus: fuerit ſanè, quæ in nobis vocem artificioſè fabricat, ipſa animalis facultas. Cum verò voluntariæ* actiones per muſculos, ac neruos perficiantur, voluntarium verò opus ſit ipſa vox: patet inſtrumenta, per quæ vox fit, inuenta eſſe. Materiam autem ipſa quoque communis vocis definitio nos docet, quæ ait. Vox eſt aer percuſſus. Manifeſtum igitur eſt, aerem, qui in nobis* genitus, ſpiritus vocatur, à facultate animali per neruos, & muſculos percuſſum, vocem fieri, materiæq; rationem obtenturum. Quis nam verò ſit locus, in quo actio fieri creditur, deinceps conſide-

A. l. 3. ſ. 10. t. 2. ca. 1. fol. 262. h

consideranduṁ est. Ac Homerus quidem caput locum esse vocis pronunciauit, sic inquiens. Cla E
morem emisit, quantum caput huic capiebat. ✲ ✲ ✲
tres enim nouit musculos, qui phantasiam, opinionemq; nobis afferunt ipsam vocem in thorace fieri. Ac nos quidem, an ex prædictis locis quispiam, an etiam præter hos alius sit vocis officina, ab ijs, quæ apparent, auspicati, consideremus, prædictam constitutionem præ oculis habentes. Cum igitur spiritus sit, qui in vocis generatione percutitur, quemadmodum sanè tum ratio ostendit, tum id, quod apparet, comprobat: (neq; enim profectò multum aerem attraheremus, vbi magnam vocem edere vellemus) inuestigare conuenit quodnam ex spiritibus instrumentis percutere, comprimereque spiritum possit * * * *
bronchus, nares, os: ille quidem vt causa, hoc vt receptaculum, hæ vt meatus. Ac thorax quidem & pulmo vocem non faciunt: eorum enim motiones diastole, & systole, idest dilatatio, & constrictio, solæ sunt: quas motiones hæc ipsa duo membra, dum inter respirandum mouentur, non vocem, efficiunt. Relinquitur ergo adhuc, vt quæ tanquam spiritus meatus sunt vocem faciant. Ex his nares quidem, ac maxima bronchi portio, cum musculis careant, vocem, quæ voluntarium opus est, perficere haud possunt. Superest ergo ipsum os, & superior bronchi terminus: quem & bronchi caput appellant, nonnulli verò larynga, idest guttur nominant: hæc enim musculos, ac F
neruos habent: ac præsertim ipsa lingua, quæ ita à natura constituta est, vt aerem possit percutere. Quamobrem fama est Tereum, cum Philomelæ vocem adimere vellet, vocis instrumentum, linguam inquam, abscidisse. Sed quoniam, qui ea affectione, quæ aphonia, idest vocis amissio, dicitur, linguam, ac respirationem sanas habent: patet non linguam, sed bronchi caput vocis esse instrumentum: magnam quippe ex constructione comprobationem assumes: nam, tum ex neruis, qui mouent: tum ex musculis, qui voluntati obediunt: tum denique ex chartilaginibus, quæ percutere spiritum, simulq; resonare possunt, constitutum est.

Quæ primaria attrahendi spiritus in pulmonem, & quæ secundaria sit ratio. CAP. 3.

ERgo per thoracis dilatationem spiritus in pulmonem attrahitur, primaria quidem ratione ob caloris circa cor existentis refrigerationem, ac præterea ob corporis respirationem, & ipsius animalis spiritus nutritionem: secundaria verò, ob vocem. Nam illius spiritus, qui in pulmone confectus est, pars tenuior sinceriorq; à corde attracta, primas illas vtilitates præbet: superflua verò, ac recrementitia, recurrendo excernitur. Neque enim quo pacto nutrimenti, eo quoque sanè ipsius etiam spiritus superfluitates eijciuntur. Nam, quæ malè olent, deformesq; sunt natura procul à sensibus retroq; ablegauit: quæ autem in confectione nullam acquirunt iniucunditatem, eas per eandem viam recurrere coegit. Ac fortassis etiam proprijs suisq; materiarum propensionibus simul est vsa: ponderoso quidem deorsumq; vergenti alimento, excretionem illic parans: leui verò spiritui, sursum ferri permittens. Hocq; naturæ consilium mediocriter sanè est laudandum. At, quòd superfluum spiritum haud inutiliter ociosèq; è corpore expellat, sed ad vocis quoque generationem eo, dum transit, sit vsa: nihil profectò, quo prouidentia laude superari posset, ab ipsa relictum est. G

Chartilaginum laryngis dissectio. CAP. 4.

POstquam igitur facultatem, instrumenta, materiam, & locum inuenimus: modus duntaxat nobis inuestigandus relinquitur. Sanè cum ipse citra apparentium inspectionem cognosci non possit, necessarium iccirco nobis est, vt dum ad eorum ostensionem accedimus, modum actionis consideremus: qua cum vnà quoque particularum vsus innotescet. Vt autem, quæ ostenduntur, facilius memoriæ mandari possint: eorum naturam oratione prius dilucidemus. Igitur" larynx ex chartilaginibus, musculis, neruis, & ea membrana, quæ intus ipsum sublinit, constituitur. Cum autem chartilagines veluti fundamenta reliquorum sint corporum: de ipsis prius (clarior siquidem, quæ de reliquis postea habebitur, oratio euadet) dicamus, hinc sumpto doctrinæ initio. Prima sanè, ac maxima inter laryngis chartilagines ex internis partibus collocatur: cuius quidem conuexa pars, extrorsum versa est, concaua introrsum: atque hæc ipsa chartilago dimidium totius capacitatis laryngis comprehendit. Hanc ipsam cuidam ar- H
morum protegentium generi † non conuexo, sed concauo, quod θυρεὸς, idest scutum appellatur, assimilare posses: à quo sanè anatomici θυρεοειδῆ, idest scutiformem, ipsam appellarunt. Alia autem basim κρικοειδῆ, idest anuli figuram imitantem, efficiens, postremæ ipsius asperæ arteriæ chartilagini Ⓒ literam imitanti incumbit: scutiformi verò in priori sui ipsius parte subiacet: hinc introrsum, stomachum versus secedens, in sublime attollitur, ac excauatur ita, vt quicquid laryngis chartilago scutiformis sine tegumento reliquerat, id proposita nunc in sermo-

A.l. 1. s. 1. c. 5. su. 2. ca. 11. fol. 17. g

† *Vide lib. 7. de vsu partium c. 11. vbi diuersum dicere videtur cl. 1. pag. 160.*

ne

A nè chartilago in ſublime euecta repleat. Sed quoniam haud facilè alicui eorum, quæ in hoc mundo nomen ſortita ſunt, hæc chartilago aſſimilari potuit, atque ita denominari: nominis defectu vocata eſt. Reliqua ab his chartilago, quæ tum poſitione, tum magnitudine tertia eſt, in ſuprema innominatæ chartilaginis parte eſt ſita, gutturnijs, infundibulisve, quas & arytænas appellant, haud abſimilis: vnde hanc quoque chartilaginem arytænoeidem nominant.

* * * innominatæ: propria baſi propè eos, qui veluti humeri ſunt. Hæ quidem ſunt propriæ laryngis chartilagines. Nam quæ à radice linguæ exoritur, quam etiam epiglottida, quaſi ſuper ligulam dixeris, appellant, ipſius bronchi non eſt propria. § Eſt verò aliquid linguæ ſubiectum, quod & facilè flecti poteſt: idq; etiam ſanè oſtendemus. §

Muſculorum laryngis diſſectio. CAP. 5.

EX laryngis verò muſculis, quidam ſibi ipſi ſunt proprij, quidam alijs quoque particulis communes exiſtunt. De communibus igitur prius dicamus: quandoquidem prius, quàm alij, ſub
B aſpectum cadunt. Duo quidem ab humilibus coſtis illius oſſis, quod à ſimilitudine Y literæ hyoeides appellatur, incipientes per totam ſcutiformis chartilaginis longitudinem extenduntur: eiuſdemque extremitatibus in priori parte inferuntur. Alij item duo ab eiuſdem ſcutiformis locis incipientes, ac per totam aſperæ arteriæ longitudinem deorſum exporrecti, in pecto-
* ralis oſſis principium inſeruntur. Duo item à lateribus ſcutiformis incipientes, ſtomacho gulæve circumnaſcuntur, in extremitate ſibi mutuò coeuntes. Ex ijs verò, qui proprij laryngis ſunt, quatuor ab infernis ſcutiformis regionibus initium ſumentes, bini, à dextris, & bini à ſiniſtris, magnitudine prorſus inter ſe æquales, exterior ab exterioribus, interior ab interioribus regionibus enati, alteri chartilagini in priori parte inſeruntur. Alij autem ab innominata chartilagine exorientes, ſurſum medij extenduntur, ac tertiæ adnaſcuntur. Alij verò ab eadem chartilagine incipientes, alter à dextris, à ſiniſtris alter, ſurſum ad eos, qui veluti humeri ſunt, exporrecti, propter ipſas dearticulationes arytænoeidi adnaſcuntur. Reliqua propriorum laryngis muſculorum coniugatio ab extremis quidem, tum infernis, tum internis, ipſius ſcutiformis partibus exoritur: ac per laryngis capacitatem obliquè ſurſum progreſſa, tertiæ chartilagini inſeritur. Tot ſunt numero laryngis muſculi. Duo verò alij in arytænoeide comperiuntur, haud tamen in om-
C nibus animalibus, præcipuèque in parua voce præditis, inter quæ etiam ſimia numeratur. Porrò, cum muſculi quoque iam ſint oſtenſi, de chartilaginibus prius dicamus: quandoquidem hoc etiam pacto oſtenſionem fecimus.

Cur larynx ex chartilaginibus, & eiſdem tribus conſtitutus ſit: & modus, quo vox fit, docetur. CAP. 6.

SAnè, quòd ſatius fuerit ex tot, ac talibus chartilaginibus caput bronchi conſtitui, patet. Nam, ſi per hypotheſin ipſas auferres, ac reliqua relinqueres, meatus certè concideret, ac tranſitus ſpiritus clauderetur: vt non ſolum voce, ſed & reſpiratione quoque priuatum, ideſt mortuum, redderetur corpus. Muſculi enim propria priuarentur actione: quippe qui nihil ſolidi, ideſt laryngis corpora, trahere contrahereq; ſuis ipſorum anſis poſſent. Si autem laryngis corpus ex oſſibus factum fuiſſet, primum quidem ſua duritie, ac ſæuitia gulam ſibi proximam compreſſiſſet, ac deglutitioni impedimento fuiſſet: deinde pondere ſuo linguam, ac pharyngethron, ideſt
D os hyodes, detraxiſſet, eorumque actiones oblæſiſſet: maioribus præterea muſculis, vtpotè grauius corpus moturis, indiguiſſet: ob idque multa anguſtia, ac turpitudo in hac parte contigiſſet. Si verò ex oſſibus tenuibus fuiſſet conſtructum, facilè ea fuiſſent confracta: quippe quæ fragilia, rebusque omnibus extrinſecis expoſita fuiſſent. Alioqui etiam neque vocis inſtrumentum fieri oportebat duram, ſæuamque in aera percuſſionem faciens. Neque enim quod adeo molle eſt corpus, vt cedat, ac conſentiat, vocem vnquam feciſſet: neque rurſus, quod durum eſt, quodque promptè aerem ſecat, vel euertit: verum, quod moderatè cedit, blandèque ſpiritum pulſat,
* id certè vocis cauſa efficitur. Hoc porrò corpus, veluti tibia quædam fit, lingua, lingulave, perſonans, dumque aer à chartilaginibus percutitur, mediocriter id cedens (mediæ ſi quidem inter carnem & os naturæ eſt: quippe caro è ſpiritu euerti poteſt: os, ſæuam percuſſionem facere ex ſua natura ſolet) ſonum ædit, vocisq; cauſa fit. Meritò igitur, vt vocis inſtrumentum, ex chartilaginibus factus eſt bronchus: meritò etiam talem, quo difficulter pateretur, ſortitus eſt conſtitutionem. Quin potius ſanè omnium ceruicis corporum propugnaculum exiſtit: Nam chartilaginum natura difficilius, quàm reliqua corpora, patitur: neque enim frangitur, ſicut os, quippe

qu æ

quæ flectatur, accedat: nec diuiditur, ſicut caro: ſed amborum profectò difficultatem patiendi, E
imitatur: oſſis, quà ipſum haud facilè diuidi: carnis, qua ipſa haud frãgi ſoleat. Ideoq; natura vbique chartilaginea protendit corpora: eiuſmodi ſunt aures, palpebræ: quin & vngues talis naturæ ſunt. Quæ certè corpora ne minimum quidem perdurarent, niſi præter duritiem perſeuerantiam quoque nacta fuiſſent. Rectè ergo bronchus, vt vocis inſtrumentum, ex chartilaginibus, quo reſonaret, conſtitutus eſt: rectè etiam, quòd ſpiritum non concidat: rectè, quòd gibba ipſius pars difficulter patiatur. Ex vna autem chartilagine non eſt conflatus, ſicut auris, ſed ex tribus ſanè coeuntibus. Nam cum hæc pars vtilis eſſe debuerat, tum ad vocem, tum ad ſpiritus cohibitionem, tum denique ad exufflationem.

✣ quæ ſanè ſatius fuerat noſtræ obtemperantia voluntati moueri, neceſſe eſt, quæ ita mouentur, ex pluribus oſſibus, vel chartilaginibus componi. Iure igitur merito etiam bronchus ex pluribus conflatus eſt chartilaginibus: quo, non vt meatus ſolum, ſed vt inſtrumentum etiam voluntarium inſeruiat. Et tribus autem & non pluribus chartilaginibus factus fuit, ob eiuſmodi cauſam. Cum enim duplices genere ſint laryngis motionis, quibus tum dilatatur, ac conſtringitur, tum clauditur, ac aperitur, duabus iccirco dearticulationibus ſibi opus fuit, quarum ſingulæ ſingulis motibus inſeruiunt. Duas ve- F
rò dearticulationes à tribus (quod minimum eſt) chartilaginibus coeuntibus fieri neceſſarium fuit: Ita vt dilatatio, & conſtrictio ab ea dearticulatione, quæ eſt primæ chartilaginis ad ſecundam: clauſio & apertio ab ea, quæ eſt ſecundæ ad tertiam, perficiatur. Multa ſanè etiam de magnitudine quoque & figura, & compoſitionis modo dicenda forent: quæ tamen, ne longius ſermonem protrahamus, prætermittemus: cum nos ex prædictorum conſecutione, de illis quoque excogitare valeamus.

Muſculorum laryngis actio inueſtigatur. CAP. 7.

MVſculorum porrò actio communis, atque vna omnium exiſtit. Omnes enim per ſuas ipſorum fibras à longitudine in craſſitiem contracti partem, in quam inſerti ſunt, trahunt. Nam extenſio, non actio, ſed affectus, ipſis eſt, oppoſitis nimirum muſculis ipſos in contrarium trahentibus. Tale igitur quippiam cum in bronchi capite vſu veniat, muſculorum exortibus inſpectis, eorum actionem conſideremus. Quando ergo muſculi illi, qui ab oſſe hyoeide exorti, in extremasque ſcutiformis partes extenſi, inſeruntur, agunt, in priora ſurſumque hanc G
primam chartilaginem attrahunt, ipſumque à ſecunda repoſcunt. Quando verò illi, qui à pectorali oſſe exoriuntur, agunt, ad infernas ipſam partes trahunt: interim verò ſuperiores laryngis partes dilatantur. Hi ergo etiam arteriæ aſperæ longitudinem erigunt ita, vt non curuetur pliceturve, præſertim in animalibus longum collum habentibus. Adſtringunt autem inſuperioribus regionibus ſcutiformem chartilaginem muſculi illi, qui in ſupremis ipſius partibus enati, gulæ in orbem adnaſcuntur: ijdem præterea deglutioni conducunt. Inferiores autem eiuſdem chartilaginis partes à quatuor adſtringuntur muſculis, qui laryngis proprij ſunt, qui inquam ab extremis primæ chartilaginis partibus exorientes, in ſecundam inſeruntur. Hi ergo omnes muſculi dilatationem, conſtrictionemq; laryngis efficiunt: reliqui verò ipſum claudunt, & aperiunt. Ac claudunt quidem, qui in capitis bronchi capacitate ſunt collati: qui ſanè ad extremis, internisque primæ chartilaginis partibus exoriuntur, atque in tertiam inſeruntur. His porrò ipſis conducunt muſculi illi parui, qui in arytænoeide ſunt, non in omnibus profectò animantibus inuenti, arytænoeidem crumenis contractis, dum ipſam contrahunt, ſimilem reddentes. Contrario verò motu tertiam chartilaginem illi muſculi mouent, qui à ſpina innominatæ chartilaginis enati, ſurſum in eam ipſius partem, quæ maximè media eſt, porrigun- H
tur. Hi ergo in poſteriora arytenoeidem chartilaginem reflectunt: aperiunt autem, qui ab eiuſdem chartilaginis humeris enaſcuntur. Qui verò intra laryngem collocantur, qui ſanè obliqui ſunt, validam actionem ſunt adepti: ſicuti in ſpiritus cohibitionibus manifeſtum nobis fit. Intenti enim hi muſculi, laryngis capacitatem claudunt, nec ſpiritum exire foras permittunt, omnibus thoracis muſculis reſiſtentes. Vt autem clarior nobis fiat oratio, altius repetentes, pauca de reſpiratione dicamus.

Quo modo fiat inſpiratio, & expiratio. CAP. 8.

REſpiratio fit, dum thoracis muſculi intenduntur, & coſtas in ſublime attollunt, ac totam internam capacitatem latiorem, maioremque reddunt. Interim autem accidit, vt pulmo dilatatus thoracem dilatatum inſequatur. Cum autem ea, quæ in pulmone eſt, capacitas maior reddita ſit, ambiens aer per aſperam arteriam, & os, & nares ad ipſam ab attractione

A ctionẽ vacuum cõsequente, quemadmodum in fabrorum folles, attrahitur. Hoc ergo modo inspiratio fit, plurimis thoracis musculis intentis. Spiritus verò latio, quæ extrorsum fit, quam expirationẽ vocant, hoc pacto fit. Musculi, qui contrario motu thoracem mouere creduntur, costas vnà cum septo transuerso, qui & ipse latus musculus est, trahunt, thoracemque coarctant: qui compressus pulmonem constringit: atque in illo compressus recurrentem spiritum per bronchum, & os foras extrudit.

Quot modis spiritus cohibitio fiat. CAP. 9.

SPiritus igitur cohibitio tribus temporibus fiet, vel quando, dum spiramus, in agendo adhuc persistunt musculi thoracem dilatantes: vel quando rursus, dum expiramus, in agendo persistunt musculi thoracem constringentes, ita, vt alia pars spiritus reflecti, alia adhuc manere videatur. Fieri etiam potest in expirationis, & inspirationis confinio κατ' ἐπιγέμισιν id est, per repletionem vocatam, quando musculi, qui inspirationem faciunt, cessant: incipiunt autem, qui expirationem præbent. Omnibus his temporibus, modisq; spiritus cohibitio fit: in quibus prædicti mu-
B sculi laryngis intrinseci quietem agunt. Alius autem modus cohibendi spiritus hoc pacto fit. Musculis thoracem dilatantibus quamplurimum agimus, multoque spiritu pulmonem replemus: deinde internos laryngis musculos intendimus, spiritusq; transitum claudimus: tuncq; ad inspirationis successionem, actionem ducimus, thoracemq; enixè constringimus, ac pulmonem haud inualidè comprimimus. Interim tamen musculi thoracem constringentes ab illis duobus, qui spiritus transitui resistunt, vincuntur. Hanc spiritus cohibitionẽ, qui versus ilia fit εἰς λαγωνάτωσιν gymnastici appellant. Priores igitur spiritus cohibitione fiunt musculis thoracis propriam sui ipsorum actionem sine pugna, ac contentione perficientibus. Quæ verò nuper memorata est, mutua inter musculos thoracem constringentes, & eos, qui laryngis capacitatem claudunt, concertatio est: dum illi extrudere spiritum, hi verò intus ipsum retinere volunt. Iam ergo manifestum nobis factum est id, quod à principio diximus, quòd scilicet validissimam musculi hi actionem nacti sint: quippe qui omnibus thoracem constringentibus musculis resistant. Sanè musculi hi illis, qui ad vrinarum deiectionumq; exitus collocati sunt, proportione respondent. Sicuti enim illi, dum agunt, nutrimenti excrementa, ita hi spiritum recludunt. Quando igitur respirantes quam plurimum, tum hos laryngis musculos, tum eos, qui thoracẽ constringunt intendimus, ten-
C sio illa, quæ εἰς λαγῶνας, ideſt versus ilia, fit, efficitur. Quando verò respirantes maximè obnixè, laryngis musculos relinquimus, vehementius autem musculis thoracem constringentibus agimus.

GALENI DE SVBSTANTIA FACVLTATVM NATVRALIVM FRAGMENTVM.

D Bartholomæo Syluanio Salonensi interprete.

ARGVMENTVM LIBRI.

Satis esse ad probabilitatem vsque prouehi in problematis, quæ neque ad sanitatem, neque ad morales virtutes necessariam cognitionem habent.

In antiquo codice inuenitur hic liber ita inscriptus περὶ τῶν ἑαυτῷ δοκούντων.

Ac quisquam fortasse eorum haud leuem dissensionem putabit, qui animalia calida, plantas frigidas esse affirmant: minus sanè intelligens, vbi subtilius edisserat quis, eum vniuersum id, quod quæsito consequens est, ad scientiam vsque extremam ⸗ decernere: ⸗ vbi autem in re quapiam alia intendens, obiter de his pronunciet, contentum esse, si, quod obuio sensu percipitur, calidum, vel frigidum dicat. Plato igitur ipse animalia semper animata appellat: lapides verò, & herbas, & ligna, atque (vt in vniuersum loquar) stirpes omnes de inanimatorum corporum numero esse ait. At, cum in Timæo naturalem contemplationem pauciſſimis ⸗ aperiens ⸗ auditoribus, qui scientiarios sermones percipere, intellectuque assequi valent, posthabita vulgi sententia, in mundum

mundum totum extentam ipſius aſſerit animam, ſibi ipſi virum non conſtare, ac pugnantia dice- E
re nequaquam putandum eſt: vti neque Ariſtotelem, aut Theophraſtum, qui multitudini alia, fa-
miliaribus verò, ac ſodalibus auſcultationes conſcripſere. Nam, vbi quodpiam ſenſum omnem
refugiens dogma, ac verborum copiam in demonſtrationem exigens intempeſtiuè recitatur, au-
dientes offendit. Non prius igitur de eiuſmodi rebus pronunciare conuenit, quam paulatim per
longam demonſtrationem ad rationis totius concluſionem fuerit peruentum: neque mundi ani-
mam per lapides, & teſtas, & arenam, & flagrantia, putreſcentiaque animalium permeare cada-
uera. Nam, ſi ſimpliciter adeo, vt vulgus patenter capit, quidquam id genus Plato dixiſſet, vti-
que omnes eum patrocinantes condemnarent. Ego igitur, quibus ille adductus in hanc opinio-
nem deuenerit, alijs commentarijs aperui, nihil ſanè ipſi conſentiens, aut repugnans. Neq; enim
ille ipſe ita pronunciat, quæ ad naturalem pertinent meditationem, ſed vſque ad probabile, ac
veriſimile eam progredi inquit. Sanè plantas principium in ſe motus habere, & propriorum ſen-
ſum, atque alienorum, verum eſſe arbitror. cæterum importunè de rebus eiuſmodi verba facere
magis illo ipſo caueo. Verum, ſi me quis roget, quid ſuperius animalia ſtirpibus habeant, reſpon-
deo, & ſenſum, & appetitionis motum, & vires modò expoſitas, nempe attractricem, & expultri-
cem, & detentricem, & alteratricem: quas non animarias, ſed naturales voco: nimirum, cum ex F
hoc neque medicæ arti, neque morali philoſophiæ quidquam accedere incommodi videam.
At, vbi de naturali moralis philoſophiæ parte, qualem ducit Plato, dicere mihi fuerit neceſſe, nõ-
nulla quidem planè approbo, ac viro ſuffragor: in quibuſdam verò ad probabile vſque accedo:
quemadmodum in aliquibus prorſus addubito, cum in diſſonantibus ad alteram eorum, vt quod
probabilius ſit, nequaquam inclinet animus. Quemadmodum nos animæ compotes eſſe omnes
homines norunt, quippe qui tum ea palàm vident, quæ per corpus geruntur, cum ambulamus,
currimus, luctamur, ac varijs modis ſentimus: tum verò ex quodam nobis omnibus natura pro-
bato axiomate, quo nihil ſine cauſa fieri æſtimamus, cauſam horum ſubeſſe aliquam operum
concipiunt animo. ſed, cum, quæ nam ea ſit, haud intelligatur, impoſito inde nomine, quòd fa-
cere ea poſſit, quæ facit, poteſtatem eſſe rerum, quæ fiunt, ſingularum effectricem. Sic igitur om-
nes, & ſcamoniam alui purgandæ, vt meſpilum ſupprimendæ facultatem obtinere aiunt. At, qui
naturalem (vt vocant) contemplationem elaborauere, cum alijs ſibi aliter ipſi perſuaſerint, par-
tim incorporeas quaſdam habitare in ſenſilibus ſubſtantijs facultates dixerunt, partim ſubſtan-
tias ipſas pro ſua quamque natura agere: ſiue ex quatuor elementorum conſtet temperatura, ſi-
ue ex certa primorum corporum compoſitione, quæ aliqui atoma, hoc eſt indiuidua, alij autem G
anarma, ideſt incompactilia, nonnulli impertia, quidam ſimilaria inquiunt eſſe. Etenim noſtram
quoque ipſam animam, ſunt, qui incorpoream quandam ſubſtantiam, ſunt, qui ſpiritum, ſunt
alij, qui ne ſubſiſtentiam quidem eius peculiarem vllam eſſe arbitrentur, ſed corporis ſubſtantiæ
proprietatem dici eorum, quæ facere nata eſt, facultates habere: cum non illarum ſint vllæ pro-
pria natura præditæ, ſed ſubſtantia per ſe agens, opera ſua & à ſe facultates ad ea, quæ fiunt, di-
catur eorum, quæ natura efficere apta eſt, obtinere. Itaque ego medio quodam inter hos ordine
meipſum ſtatui. Nam, cum de cæteris dogmatis abſolutè pronunciem, partim quòd veritatem
in ipſis norim, partim quòd eius nihil nouerim, in ijs, quæ modò recenſui, vſque ad probabilita-
tem prouchor, ſatius quidem eſſe exiſtimans de ijs, perinde atque in alijs, vti ſenſerim, profari:
haud quaquam verò mihi ipſe, id quod alij faciunt, perſuadens ea certa notitia tenere, quorum
certam demonſtrationem minimè ſum conſecutus. Libet igitur & de id genus vniuerſis differe-
re, quæ cognitionem quidem ad corporis ſanitatem, aut morales animi virtutes neceſſariam
non habent: cæterum decus afferent, ſi ita certo cognita forent, quàm ea, quæ nacta ſunt abſolu-
tionem in medicina, ac morali philoſophia: quam ego ſanè vtilem eſſe affirmo, & omnibus
operam nauare volentibus comparabilem. Ac ſcripti mihi de hoc ſunt duo libri. Nunc, quod H
ſum pollicitus, præſtabo, vtique hinc initio deſumpto. Corpora quidem, quæ apud nos ſunt, ex
quatuor elementorum temperatura conflari vniuerſa certo me ſcire aio: quæ præterea, & per ſe
contemperentur tota, non, vt putabat Empedocles, exiguis comminuta partibus miſceantur.
Num autem ſe totas peruadentibus corporeis inuicem ſubſtantijs, an ſolis qualitatibus, neque
cognitu neceſſarium arbitror, neq; pronuncio. Cæterum qualitatibus fieri temperaturas proba-
bilius cenſeo. Animam verò, an immortalis corporeis mixta ſubſtantijs animalia regat, quem-
admodum, an vlla quoque per ſe animæ eſſentia ſit, conſtanter noſſe haudquaquam profiteor.
Illud tamen mihi liquido conſtat, licet in corpora deforis immigret, ancillari tamen eorum na-
turis, quæ ex certa, vt dixi, elementorum temperatione proueniunt. Atque hac in re nihil ſanè
medicam artem inde offenſum iri puto, quòd in animæ immigratione, & demigratione explo-
randa (Græci ἐμψύχωσιν & μετεμψύχωσιν vocant) hallucinemur. Namque & animam receptu-
rum corpus idoneum eſſe oportet: & eo in temperatura admodum alterato animam protinus di-
gredi, tum vehementer algeſcente in euacuationibus ſanguinis, ac refrigerantiũ medicaminum
potionibus, cumque ambiens aer frigidus impendio fuerit: tum immodicè quoque per febres
caleſcente,

In antiquo codice hic incip. caput περὶ φυσικῶν δυσάμεων οὐσιας.

A calescente,& flammæ inspiratus attractusq;, aut supercalefacientium medicaminum haustus. Nō ita verò solum alterata corporis temperatura videmus separari ab ipso animam, sed vbi etiā priuatum prorsus respiratione fuerit: nimirum cum quædam tunc quoque alteratio fiat in corpore. Itaque, si naturalis in corpore æquabilitas seruetur temperamenti, seiungi ab eo impossibile animam esse mihi intelligere videor. Proinde eius essentiam scire, quæ nam sit neque ad morborum curationes, neque ad sanitatis tutelam necesse est, vti neq; ad moralem philosophiam, actiuamque, ac ciuilem: eam enim quiuis, vt lubet, à contemplatrice distinguens nominet. Sed latius mihi de his in alijs commentarijs scriptum est. Cum verò, quot, qualesve naturales facultates sint, ostenderimus, quæstio quædam per consequentiam oboritur, quo modo proprium eas attrahere dicamus, alienum autem secernere. Siquidem possibile esse videtur, vt antequam noscant, quale proprium, ac familiare sit, quale externum, aut attractionem faciant germanorum, aut alienorum secretionem: at agnoscere sensoriæ facultatis munus esse constat. Ob id igitur quædam in hoc sermone obauditio est: tametsi Plato apertè dixerit, genus sensionis in plantis diuersum est: nimirum cum audientes, quandam eis agnoscendorum propriorum, atque alienorum vim inesse existiment: horum enim tantum ipsis dignotio est, quæ tum per voluptatem, tum per molestiam, aut aliquos similes his, proportioneve conuenientes affectus progignitur, cum sensilium nequaquam discretionum aliarum particeps sit vegetalis anima. Neque enim visibilium, neque audibilium, neque olfactilium, neque gustabilium, neq; tractilium qualitatum dignoscendarum iudicium obtinet, sed eorum tantum, quæ alere, vel non alere possunt. Nam, quæ alendo sunt, ad se ipsa trahit, detinet, concoquit, atque ad nutriendæ substantiæ geniale, ac commodum transfert: quæ inepta alimoniæ sunt, nequaquam admittit. Itaque rectè dicere mihi Plato videtur stirpes sensu esse præditas, cognatorum videlicet, atque alienorum: eatenusq; animalia dici non incongruè potuisse, cum id quoque accedat, vt nec interno priuatæ sint motu. Sed, cum nec eiusmodi cognitio ad medicinalem philosophiam necessaria sit, contentus sum solius gratia sequelæ ad verisimile vsque progrediens Platonem commendare, & plantas animalium vocabulo nuncupantem, & vnius participes, domesticorum, atque alienorum discretiui, sensus asserentem: qui (si exactè consideres) iucundorum, & non iucundorum generis esse videbitur. Non enim alia vlla de causa germanū eas attrahere, vel sibi ipsius assimilare, quàm ob fruitionem, & ingenitam eis voluptatem, dicere possumus. Verum scire hoc duntaxat, vt dixi, ad medicinam satis est, nempe attrahere proprium, quo etiam aluntur, alienum autem excernere. Cæterum magis adhuc ad moralem philosophiam inutilis eiusmodi rerum exquisita cognitio est. Quapropter neque eius meminit Plato.

B

C

✻

H

E

FRAGMENTVM QVODDAM EXIGVVM AC MENDOSVM,

GALENO ASCRIPTVS GRÆCE ADHVC NON impreſſum, ex eis fortaſſe libris ſuperſtans, quos ipſe ad Empiricos ſpectantes conſcripſerat: cuius titulus eſt,

SERMO ADVERSVS EMPIRICOS MEDICOS.

Auguſtino Gadaldino medico Mutinenſi interprete.

ſeptimum adhuc inſpicere deſideras & octauum, ac omnino quamplura deinceps. Quid igitur adhuc calumniaberis, & inconſiſtentem eſſe experientiam affirmabis, & id, quod ſæpiſſimè fit, interminatum, ac ſuſpectum pronunciabis? Quibus inſiſtet dicens. Haud inuenire potes, vt nos magis quàm teipſum deijcias: quin mihi videris, vt teipſum magis. Nam, cum duo ſint, alter, qui per ſolam obſeruationem aliquid inueniri dicat, quod & ego ſanè volo, ac vos, inuiti licet, confitemini tamen: alter, qui quomodo, quod equidem nec poſſibile nec vtile eſſe aſſero, tuum profectò reliquum eſſet munus, id inuenire. Et, quia dubium eſſe id affirmas, ſophiſmate te ipſum deijcies: nos verò nequaquam iniuria afficies. Non enim, quomodo vnumquodque artificioſum fiat, certamen nobis eſt, ſed, quòd fiat ſolummodo: quod ſanè euidenter conceſſum habemus. Tu verò, qui cauſas curioſè inquiris, debes & illud, quomodo, docere. Sed contra, quàm deceat, procedere videris, nec ſecus facere, ac illi, qui, qm̃, qũo videant, ignorant, nequaquam videre fatentur: &, quia etiam, quo nam pacto generentur, quæ generantur, & corrumpantur, quæ corrumpuntur, & moueantur, quæ mouentur, ignorant, iccirco nec generationem, nec corruptionem, nec motum relinquunt. At, quòd maxima vniuerſæ rationis vituperatio ſit, aduerſus euidentia pugnare, quis eſt, qui neſciat? Nam, qui incipere non poteſt ſine euidentia, quo modo is fidelis ſit cum aduerſus id, à quo principia ſumpſit, ſit audax? Hoc etiam cum vidiſſet Democritus, quando apparentia vituperabat, vbi dixiſſet, Lege color, lege dulce, lege amarum: vera autẽ (hoc eſt ἐτεῇ) atomus & vacuum; finxit ſenſus aduerſus cogitationem in hunc modum loqui. Miſera mens, quæ cum à nobis fidem aſſumpſeris, nos deijcis. At, cum nos deijcis, tu ipſa cadis. Cum igitur deceret rationem infidelitate condemnare, nimirum, quæ adeo praua fit, vt etiam, quæ inter ipſas eſt probabiliſſima, cum apparentibus, à quibus incepit, pugnet, vos contrarium H agitis: quippe ea damnatis, quæ rationem quidem habent, vt fiant, ſed vt ratio vult, non fiunt. Mihi verò hoc ipſum maxima rationis redargutio eſſe videtur. Quis enim ſanæ mentis de rebus obſcuris illi credat, quæ adeo praua eſt, vt euidentibus contraria ſtatuat? Multis certè adhuc indigent empirici, vt id, quod volunt, aſſequantur, etiam ſi hoc ipſis conceſſerimus. Niſi enim, quæ adhuc ſuperſunt abſurda, memoratis paria oſtendero, nullum etiam profectò iſtorum mihi commodum vtilitatemve eſse volo. Tu igitur, certo ſcio, demiratus es non mehercle noſtram, ſed empiricorum fatuitatem, ſi, cum in tot rebus tot conceſsa aſsumpſerint, nihil tamen plus habent: ſed alter error haud minor prioribus ipſos excipit, exquiſita nimirum ignorantia, ac excellens quædam impudentia, ac ſtupiditas, ipſam ferè pecudum ſtoliditatem ſuperans. Qui cum neq; à quo incipiant, habeant, nec, hoc ipſis detur, ſæpiſſimè ſimili modo aliquid videre poſſint, nec tot etiam myriadas, ipſas nimirum ægrotantium diuerſitates videre, vel recordari, vel ſcribere poſſint, (Nam, quæ bibliotheca tantam hiſtoriam capere? quæ anima tot rerum memoriam exciperet?) ipſi tamen nec ita ſentiunt, quòd ſe ipſos deludendo hæc concedunt, ſed tanquam hæc firma, ac certa eſsent, adhuc de ſequentibus contendunt. Ego igitur non ob illos, quippe ſu-

peruaca-

A peruacaneum est cum lapidibus differere, sed vt sermonem finiam, euidenter monstrabo, quòd quamuis etiam sæpissimè simili modo aliquid conspici concedatur, nullum tamen ex hoc theorema artificiosum constituent. Et certè nequaquam opineris me Platonis ratione vti, quod siquod studium (id est ἐπιτήδευσις) naturam materiæ, circa quam versatur, cognoscit, id sanè ars est: si non cognoscit, τριβὴ, id est exercitatio quædam est, & experientia: ars autem nequaquam. Ego.n. (inquit ipse) artem haud voco, rem, quæ sine ratione est. Hac nanque Platonis ratione non vtor, non, quia vera non sit, insanirem enim si hæc dicerem, sed quia empiricorum inuerecundia etiam hoc admittit: nec sibi ipsis curæ dicunt, si huius rei gratia suum ipsorum studium, non artem, sed aliud quid appellem. Quæ nam igitur erunt meæ rationes? Primum ergo ab illis ipsis quoq; sumptiones sunt concessæ. Si enim obseruatio eorum, quæ sæpissimè simili modo visa fuere, ab ipsis arbitror, empirica, hoc est experientia, appellatur, componitur autem ex multis singularibus, ipsum autem singulare inartificiosum esse dicunt, fuerit sanè, quod sæpissimè fit, ex multis inartificiosis compositum. Et ita oratio interrogabitur. Si singulare est inartificiosum, id verò, quod sæpissimè fit, ex multis singularibus est compositum, igitur id, quod sæpissimè fit, est inartificiosum: atqui singulare est inartificiosum: ergo & id, quod sæpissimè fit. At fortè, nec, quod dicimus, se sci-
B re dicent: quippe se tum aliàs disciplinas, tum dialecticen fugere concedunt. Si placet, hanc à nobis ipsis dictam rationem omittamus: aliam verò quampiam eiuscemodi eos interrogemus. Nunquid ò Empirici id, quod sæpissimè fit, quoties nam sit nobis dicere potestis? volumus enim & nos per obseruationem, sicuti & vos ipsi, scire. Vt igitur ne aberremus, mensura eius, quod de est, non seruata, putantes, vel ante sufficientem ipsius inspectionem ad finem venire, vel vltra, quàm conueniat, extendi ob mensuræ ignorationem, vobis egemus, nobis mensuram ostendite, vt & ipsi aliquid ex obseruatione discamus. O stulte, inquit, ridens, non est in ipsis vna omnium mensura, sed in vnoquoque alia. Tu verò non secus interrogasti, ac siquis vellet, vt sutor, quodnam illud sit calapodium, quo omnes calceat, doceret. Neque enim pedum vna est mensura: inæquales nanque sunt. Nec hic etiam sanè vna rerum est mensura: differentes enim sunt. Ego porrò responsionem lubens accipio, atque approbo, multoque magis ei acquiesco, quàm si vnam esse omnium mensuram promisisset dicere: tunc enim quoque suspicarer, si, cum res multum inter se differant, vnam ipsis mensuram inducere pollicitaretur. Nunc autem, si in vnaquaque re proprium quid, ac peculiare ostenderit, eum veritatem valdè assecuturum sperauerim. Quocirca à simplicioribus incipiens interrogabo. Si videro aliquem, cui cerebri inuolucrum sit vulne-
C ratum, quoties nam exquisitè scire potero, vtrum ipse semper, aut plerunque, aut rarò, aut ambiguè moriturus sit? At nullus ipsorum, nec ore respondens nobis, nec scriptis mandans, mensuram docuit. Num ergo non habent aliquid in vnoquoque terminatum? Quod igitur iam eorum res pessum eunt, omnibus est compertum. Sed consequens deinceps fuerit, quemadmodum à principio cum ipsis disputauimus, æquoque animo congressi fuimus, adhuc etiam nunc singulatim nos considerare, vtrum ab illis ignoretur mensura eius, quod sæpissimè fit, ipsa verò in rerum natura sit: an nequaquam constitui possit, vt aliqua sit mensura in eo, quod sæpissimè fit: an ipsa fractura sit id nunc artificiosum esse, cum prius minimè esset artificiosum. Ego igitur sæpè hoc consideraui, nec certè ex tempore.

LECTORIBVS
TYPOGRAPHVS.

VT vos, qui hæc ex Arabum ſcriptis collecta Galeni librorum non extantium fragmẽta lecturi eſtis, æquo animo, & optima ſpe id agatis, duo præcipuè docendi eſtis: vnum eſt, eadem linguæ latinæ, qua ſcripta in libris proprijs inueniuntur, impuritate hìc à nobis poſita eſſe, ne fides ex ſermonis mutatione vſpiam minuatur: etenim Galeni ſermo purus quidem eſt, nec elegantiæ inops, atqui ad Arabas delatus, ab his deinceps in Latinam linguam iamdudum trãslatus habetur, quadam, vt erat præteritorum ſęculorum infelicitas, barbarie totus infectus conſpicitur. Alterum eſt librorum titulos, qui in hiſce fragmentis leguntur, notos partim, partim ignotos & forſan falſos eſſe. Notum eſt, expoſitiones Epid. ciborum, ventorum, aquarum, humorum, Timæi ſæpenumero in hiſce citatas, nil aliud ſignare quàm commentaria à Galeno conſcripta in lib. ij. Epidem. Hippocratis, in lib. de aere, aquis & locis, in lib. de alimento, de humoribus, in Timæũ Platonis, quæ aut non habentur, aut, ſi quæ habentur, incertum eſt, an Galeni germana ſint. Ignotum autem eſt, quis ſit in eis citatus liber conſiliorum, ſimiliter decimus aphoriſmorum, & ſeptimus Timæi, cum conſtet in aphoriſmos ſolummodo ſeptem, in Timæum quatuor tamen commentariorum libros Galenum ſcripſiſſe, haud aliter quoque ignoratur liber antidotarij tertius, de adiuto creatoris, de ſomno & vigilia, de ſignis mortis, & eiuſmodi complures alij, quorum ſimiles etſi non conſtet à Galeno eſſe editos, verumtamen haudquaque verò diſſimile eſt, vel eſſe aliquarum librorum Galeni partium titulos, qualis tractatus de clyſteribus, de colica, de medici examine, vel potius permutatam eo pacto fuiſſe multorum inſcriptionem, quo videmus in ijs, qui extant, libris ſæpè ab interpretibus antiquis mutatum fuiſſe, vel in ipſis codicibus numerum, & verba aliqua deprauata legi: quorum nihil vos ab horum lectione deflectere debet, cum ſententiæ alioquin & vtiles, & Galeno dignæ cenſeantur.

A



FRAGMENTA GALENI
EX APHORISMIS RABY MOYSIS COLLECTA.

B

Ex particula ſexta de adiutorio Creatoris.

MEmbra aliqua creduntur in corpore vnum eſſe, quæ in veritate ſunt duo, ſicut cerebrum, lingua, maxilla, pulmo, pectus, & matrix, & alia his ſimilia, quando in latere dextro cuiuſlibet illorum numerus partium æqualis eſt numero earum, quæ ſunt in latere ſiniſtro, quæ partes ſunt æquales in quantitate, groſſitudine, ſubtilitate, & colore, & tota natura earum nunquam permutatur, ſicut generis venarum pulſatilium, & non pulſatilium, & nerui quicquid ex eis coniungitur vni lateri eſt ſimile ei, quod coniungitur latere reliquo.

Ex expoſitione ſecundi Epid.

Quæcunque ex animalibus, & plantis creſcunt velociter, ita velociter finiunt vitam ſuam.

C

Ex expoſitione in ſecundum Epid.

Sapor ſudorum ſanorum eſt ſalſus, & ſimiliter eſt in ægris, ſed tamen parum permutatur eius ſalſugo, & declinat in ſaporem humoris dominantis, qui ægritudinem generauit.

Ex expoſitione in ſecundum Epid.

Imprime manum tuam ſuper hypochondria tenſa in principio ægritudinum ſuarum, & cognoſces per illud ſi in eis eſt apoſtema calidum, apoſtema durum, inflatio, ſanies, aut multum ſtercus, & ægritudine ipſa cognita incipe diſſoluere ipſam.

Ex expoſitione in ſecundum Epid.

Tuſſis diuturna ceſſat aliquando per apoſtema, quod generatur in teſticulis colligantia, quæ eſt inter inſtrumenta pectoris, & inſtrumenta generationis.

Ex expoſitione in ſecundum Epid.

D

Qui habet hepar debile, color eius eſt albus, candidus ex pauco ſanguine, quem generat: & qui ſplenem habet debilem, color eius eſt lentiginoſus ex humore melancholico, qui ſanguini eſt commixtus.

Ex prima expoſitione in ſecundum Epid.

Species vermium ventris ſunt tres ſimiles vermibus, acuti generantur circa anum, & ſimiles ſeminibus cucurbitæ in inteſtinis groſſis, & ſimiles ſerpentibus in inteſtinis ſubtilibus, & cum ipſi eleuantur ad ſtomachum, generant dolorem in eo, & generantur in ventre vermes ex humore malo, & morditiuo.

Ex ſexta expoſitione in ſecundum Epid.

Ex materia humoris aſcendentis ad partem ſuperiorem corporis in capite vlcera generantur, & tunc oportet te purgare ex loco proximo cum vomitu, & non cum phlebotomia.

Ex ſecunda Epid. expoſitione. E

In ſquinantia, & omni ægritudine, quæ generatur infantibus, ſentit patiens coarctationem cum vult aliquid deglutire, ex quibus perniciosior eſt, in qua non apparet in fauce apoſtema, nec aliqua rubedo, & hoc apoſtema eſt in meri gutture, aut ipſorum lacertis tantum, & ex humoribus frigidis, viſcoſis, & crudis accidit ſquinantia.

Ex ſecunda Epid. expoſitione.

Cum apoſtema ſquinantilum magnum eſt, non ſit homo contentus tantum medicinis, quæ interius fiunt, ſed fiant etiam emplaſtra exterius, effuſiones aquæ calidæ, & balnea. Et hæc non operanda ſunt, niſi in declinatione morbi, & cibi dominorum huius ægritudinis ſint farinæ medicinales, vt cum tranſeunt per loca dolentia ſint eis loco emplaſtri.

Ex ſecunda Epid. expoſitione. F

Oportet in ægritudinibus ſtomachi ſpecialiter, quòd quantitas ciborum ſit temperata quantitate determinata, vt non grauet eum, & oportet in ægritudinibus hepatis fieri, illud idem.

Ex ſecunda Epid. expoſitione.

Anguſtiæ, quæ generantur ex humoribus, qui ſunt minoris malitiæ, quàm qui generant ſyncopim, & oſcitationi, quę generatur ex lentitudine lacerti maxillam mouentis ad reſolutionem fumoſitatum cõfert vinum cum aqua temperatum, quia adaptat humores malos, calefacit ſtomachum, adiuuat digeſtionem, & reſoluit frigidas fumoſitates, & potus vini confert horripilationi prouenienti ex humiditatibus pungitiuis, & non ei, quæ ex febre, vel apoſtemate calido generatur.

Ex ſecunda expoſitione in ſecundum Epid.

Ex humore acuto & adurenti, qui febrem generat, impoſſibile eſt apoſtema in auribus generari, & ex humore ipſo valdè frigido, groſſo, apoſtemata in inferioribus corporis generantur, & ex humore ipſo inter ſtatum vtrumque medio ſub auribus apoſtemata generantur. G

Ex ſecunda expoſitione in ſecundum Epid.

In hora difficilis partus ex ſanguine retento, & ex multo, & forti conamine mulieris parturientis membra partus mulieris ipſius multotiens apoſtemantur.

Ex expoſitione in ſecundum Epid.

Coadunatio ſanguinis in mammillis ſignificat maniam futuram.

Ex expoſitione in ſecundum Epid.

Sanguis ærugineus eſt ſanguis ſubtilis aquoſus, cuius virtus eſt venenoſa, mala, acuta, & ſanguis aqueus eſt ſanguis calidus, ſtabilis, & quietus.

Ex tertia expoſitione in ſecundum Epid.

Vrina pinguis cum colore inæquali de genere choleræ ſignificat calorem febrilem liquefacere pinguedinem. Et vrina pinguis cum colore, & ſubſtantia ſimilis colori olei ſignificat calorem fe- H
brilem liquefacere carnem, & hæc ſignificat deſtructionem, quia caliditas liquefaciens carnem fortior eſt caliditate, quæ pinguedinem liquefacit.

Ex expoſitione tertia in ſecundum Epid.

Aegrotans cum deſiderat attractionem aeris frigidi propter accenſionem fortem, quam ſentit in interioribus membris, & requirit multa operimenta propter frigus, quod in exterioribus ſentit, ſignificat hoc ægritudinem eſſe mortalem, maximè cum in principio acceſſionum nõ accidit illud.

Ex tertia expoſitione in ſecundum Epid.

Melancholia cùm in corpore dominatur, eius purgatio melior eſt continuis vicibus, & continuis diebus per inferius tempore ſanitatis, & tempore infirmitatis.

Ex particula ſexta quartæ expoſitionis in ſecundum Epid.

Sanguis eſt quædam maſſa humorum omnium per diſpoſitionem naturalem in hepate genera-

A generatam, & denominatur à ſanguine propter ſuam abundantiam ſanguinis, & eius dominium ſuper aliquos humores, & eſt id, quod euacuatur per phlebotomiam; & ſcarificationem. Et cum dicimus quòd in corpore ſunt humores quatuor, ſcilicet ſanguis, phlegma, cholera citrina, & cholera nigra, non intelligimus tunc per ſanguinem ipſum maſſam humorum quatuor, ſed intelligimus illum, qui comprehenditur per imaginationem, & humoribus alijs non eſt permixtus.

Ex quarta expoſitione in ſecundum Epid.

Phlebotomia & ſi non conferat quandoque domino tremoris, domino hydropiſis, & his ſimilibus, & conferat eis quandoque, vtilis tamen eſt illi, cui ſpecialiter incipit ægritudo ex concluſione ſanguinis menſtrui aliqua ratione, ob cuius multitudinem dubitatur, ne calor naturalis extinguatur.

Ex ſexta expoſitione in ſecundum Epid.

B Dies critici per quaternarium numerum computantur vſque ad vigeſimum, & ſunt quartus, ſeptimus, vndecimus, decimusquartus, decimusquintus, & vigeſimus, & poſt vigeſimum per ſeptenarium vſque ad 40. & poſt 40. computantur per vigenarium vſq; ad centum viginti, & poſt centum viginti computantur bis per circuitus menſium ſecundum, quòd computauiſti per circuitus dierum, & poſt menſes per circuitus annorum.

Ex ſexta expoſitione in ſecundum Epid.

Totum ſanguinem malum, qui coadunatus eſt in diebus conceptionis in muliere, purgare partus tẽpore te oportet, & potior curatio eius eſt purgatio ſanguinis eiuſdem per adminiſtrationem cibi lenis, vt ſanguis citò prouocetur, & illud in quo coadunatur cibatio, & lenitas eſt far hordei, in quo etiam eſt inciſio, & ſubtilitas modica, & iſta adiuuant ad prouocationem ſanguinis groſſi.

Ex ſexta expoſitione in ſecundum Epid.

C A concipiente cum lac exit, fœtus eſt debilis, & propter ſui debilitatem non poteſt trahere ad ſe ſanguinem, qui aſcendens ad mammillas fit ex eo lac, & cum mammillis eſt ſuperfluitas abſconſa, fœtus eſt fortis.

Ex ſexta expoſitione in ſecundum Epid.

Lac cibat defectorum corpora, & ſubleuat ea etiam, corrigit humores malos, & adaptat ipſos humores, & lenit ventrem, & caſeus reſidet in meatibus hepatis, & oppilat illos, & ob hanc cauſam domino hydropiſis valdè nocet.

Ex expoſitione in ſextum Epid.

Non oportet citò perforari ventrem hydropicum, ſed hoc debet fieri cum eſt augmentata humiditas in tantum, quòd virtutem aggrauat, & defectat: & oportet citò cauterizari pectus patiens vlcus pulmonis, antequàm vlcus putrefiat.

Ex ſexto Epid. in octaua expoſitione.

D Cauſæ ægræ primitiuæ cum reperiunt corpora à ſuperfluitatibus munda, quod corporibus accidit ex ipſarum malitia eſt modicum, & eius diſceſſus à corpore eſt velox, & cum reperiunt corpus habere multos, vel malos humores, earum actio eſt in eos ſicut actio flammæ ignis in ligna pinorum pinguium, vel ſicut actio licinij accenſi in ſulphur.

Ex primo expoſitionis libri ciborum.

In ſtomacho fortaſſis colligitur chimus phlegmaticus, vel cholericus, & phlegma eſt modis pluribus, eſt enim aliud acidum, aliud ſalſum, aliud dulce, & aliud inſipidum, & eſt etiam aliud molle ſubtile, & aliud groſſum viſcoſum, & aliud aptum ad diſſolutionem, & diuiſionem. Et eodem modo eſt de cholera rubea, & citrina, quæ creſcit & decreſcit in rubedine, & citrinitate, & ſimiliter eſt de ſpeciebus choleræ, quæ in corporibus ægrotantium generantur.

Ex primo expoſitionis ciborum.

Chimus humor groſſus quemadmodum eſt ille, qui apparet in vrina febricitantis ex multa indigeſtione, & qui deſcendit in vrina alicuius ſani nimis laborantis, & comedentis cibaria dura difficilis digeſtionis, aſſimilatur ſaniei, & inter eos differentia, quia ille humor groſſus

non fætet, nec eſt viſcoſus, ſed ei eſt in ſubſtantia, & colore ſimilis. E

Ex prima ciborum expoſitione.

Cuiuſlibet fortis membri virtus tranſmittitur ad membrum ſibi proximum de membris debilibus, & ſic fit in membro debili virtus quædam compoſita ex propria ſua virtute, & virtute tranſmiſſa.

Ex expoſitione in cibis.

Lac matricis conuenit filio, quia ſubſtantia eius eſt ſubſtantia ſanguinis, ex quo creatus eſt, cum corruptum eſt lac matricis, eligatur lac aliud quod conueniat ſibi.

Ex expoſitione in ſecundo ciborum.

Curatio cum cibis, quibus inſunt virtutes medicinales, eſt melior curatione cum medicinis quibus inſunt virtutes cibales, & euita medicinas facere puras. Si verò aliqua ex cauſis te contingat facere illam, noli commiſcere ſibi ad eius adaptationem niſi, quod ei conueniat, in quo ſit virtus cibalis. F

Ex tertia expoſitione ciborum.

Ægritudines accidentes ex melancholia, ſunt cancer, elephantia, ſcabies, excoriatio cutis, febris quartana, melancholia, & groſſities ſplenis.

Ex expoſitione tertia ciborum.

Corpora rara ſunt debiliora, & magis durantia ſana, & cum ægrotantur facilè conualeſcunt, corpora verò denſa contrarium.

Ex tertia expoſitione ciborum.

Saltus accidit ex humoribus acutis morditiuis mordicantibus membrorum, & eſt motus ſimilis motui qui accidit ex motu digitorum in ſubaſellis, & ſimilibus ſibi.

G

Ex quarta expoſitione in cibis.

Separatio oſſis naſi ſanatur, & conſolidatur diebus decem, maxillæ, furcolæ pectoris, & oſſis frontis diebus viginti, & humeri diebus triginta, pedis verò, & brachij diebus quadraginta, coxæ verò diebus quinquaginta.

Ex quarto ciborum.

Tempus formationis fętus eſt dierum 35.40. vel 45. & motionis eius tempus eſt duplum tempore formationis, & tempus exitus eius eſt triplum temporis motionis.

Ex quarta expoſitione ciborum.

Aſſum corroborat corpora magis illo, quod eſt coquinatum, & poſt illum elixatum, & elixatum corroborat magis, quàm aliæ ſpecies omnes coquinationis.

Ex expoſitione prima ventorum.

Superfluitates corporis in hyeme ſunt paucæ, quia frigus congelat eas, & in æſtate multæ H quia calor liquefacit eas, & pauci inueniuntur comedentes, non plurimum, & plurimum non bibentes.

Ex primo ventorum.

Signum geminorum cum aſcendit inchoat æſtas, & cum deſcendit inchoat hyems, ſignum verò piſcis cum aſcendit inchoatur, & cum deſcendit, inchoat autumnus.

Ex expoſitione in primo ventorum, & aquarum.

Ægritudines dictæ ciuiles ſunt, quæ habitatoribus alicuius terræ multotiens accidunt aliquo tempore, vel inſtanti ex terra, aere, aqua, vel cibi, quibus habitatores ipſi vtuntur.

Ex eadem particula.

Ægritudines peſtilentiales ſunt, quæ generaliter accidunt annorum aliquo hominibus alicuius terræ ex mutatione aeris ipſius, aquarum, vel ciborum, aut ex mutatione omnium horum trium.

Ex

A *Ex expoſitione eius in ſecundo ventorum.*

Ex ſolo phlegmate inter alios humores non generatur cholera nigra, etiam ſi ſibi caloris fortis, & adurentis dominium miſceatur.

Ex ſecundo de ventis.

Euacuationis corporis cum groſſitie ſplenis cauſæ ſunt duæ, prima eſt hepar quod non complet digeſtionem cibi neceſſarij ad cibandum membra, in quo eſt cum membris ſimul modicum, & ſecunda, ſplen, quæ maiorem partem turbulenti ſanguinis ad cibandum membra neceſſarij ad ſe trahit, & corpus attenuatur neceſſariò, cum membra ipſius prohibita ſunt à cibo.

Ex expoſitione ſecunda aquarum.

Omnibus aquis peior eſt, quæ eſt ex niue, vel glacie reſoluta, quia ſubtile in aqua pluuiæ eſt reſolutum, & coagulatum eſt groſſum malum eius, & ad bonitatem aquæ pluuiæ nunquam redit.

B *Ex expoſitione in ſecunda ventorum.*

Omnis aqua ſpiſſa, & groſſa eſt valdè frigida, & ipſius digeſtio, & deſcenſus rari ſunt, & tardi, & omnis aqua turbida fortificat appetitum cibi, & eſt cauſa corruptionis humorum, & puncturæ ſtomachi, in æſtate, & in hyeme eſt nociua humoribus ſui frigiditate, & os ſtomachi pungit.

Ex ſecunda ventorum.

Terræ orientales ſunt, quæ ſunt petitæ in ſummitatibus montium, ſupra quos ſol lucet die, item ciuitates orientales ſunt quas perflat ventus orientalis, & ipſarum pars occidentalis eſt cooperta, & orientalis diſcooperta, & terræ occidentales ſunt contrariæ iſtis.

Ex expoſitione ſecunda ventorum, & aquarum.

Non oportet te apponere ignem alicui membrorum corporis niſi manibus, pedibus, & lumbis.

C *Ex tertia expoſitione ventorum.*

Spermatis, & ſanguinis complexio quia in æſtate, & hyeme non eſt vna ſed diuerſa, fœtus in his temporibus diuerſantur, caliditas enim æſtatis ſperma calefacit, & deſiccat, & frigiditas hyemis ipſum infrigidat, & humectat.

Ex expoſitione de doloribus mulierum.

Phlegmatis generatio eſt calore corporis, quia cum ſtomachus propter fortitudinem caloris non poteſt digerere cibos, quos continet, phlegma in ſtomacho augmentatur.

Ex expoſitione in doloribus mulierum.

Qui eſt ex vomentibus facilè ad mundificationem corporis ſui, à ſuperfluitatibus cibi exerceat vomitum ante cibum, & qui eſt ex vomentibus difficulter ad mundificationem corporis ſui à phlegmate poſt cibum debet vomitum exercere.

D *Ex expoſitione in doloribus mulierum.*

Malitia quæ eſt à conſtrictione ſanguinis non manifeſtatur in primo menſe, ſed in ſecundo manifeſtatur manifeſtatione abſconſa, & in tertio menſe poſtea creſcit peſtis, quia ſanguinem qui primo menſe deſcendit, capit matrix, & cum illo repletur, quod deſcendit, nec eſt ſibi locus vbi poſſit morari, aſcendit ſurſum, & illud cauſa eſt peſtis magnæ.

Ex expoſitione in doloribus mulierum.

Sanguis retinetur debilitate virtutis trahentis venarum matricis oppilatione, vel conſtrictione ſui.

Ex expoſitione in doloribus mulierum.

Superfluitates coadunatas in corporibus mulierum ex otio, & vacatione exercitij, quibus ſunt, natura expellit, ac venas cum matrice coniunctas, ibique aggregantur, & matrix virtute ſua etiam attrahit eas.

Ex doloribus mulierum.

E

Quæcunque mulier habet menſtrua, ſed rara & debile exercitium operatur, non appetit coitum, quia mundificatur à ſuperfluitatibus corpus eius, & ſuperfluitates ſunt, quæ matricem mouent, & eam fluctuant ad coitum appetendum.

Ex doloribus mulierum.

Lacerto & offibus ſpinę dolores accedunt, cum ex fluxu ſanguinis multo deficcantur, & tenduntur, & matrici ſpaſmus accidit cum ex multo exitu ſanguinis deſiccatur, & ſuffocatio matricis accidit cum ſurſum aſcendit, & tenditur, & ad tenſionem ipſius tenduntur diaphragma & venter.

Ex doloribus mulierum.

Suffocatio matricis accidit cum matrix, & venæ quæ ſunt erga ipſam ex ſanguine retento replentur, & ligamina matricis tenduntur ex illo, & matrix ſalit ſurſum, & impellit diaphragma adeò quòd conſtringitur ſpiritus, & impellit etiam ſtomachum, & fortiter lædit ipſum, cauſa huius ægritudinis eſt retentio ſpermatis fœminini, & corruptio eius ibi, & in demonſtratione ipſius F
ſe multum dilatauit.

Ex doloribus mulierum.

Per incrementum velocem corporum mulierum ſignificatur, qui in eorum corporibus eſt calor dominans cum humiditate iunctus, & iſtud cognoſcitur per exeuntia à corporibus earum menſe quolibet ex ſanguine, quoniam ſanguinis multitudinem ſequitur calor multus.

Ex doloribus mulierum.

Nutricis lac cum retinetur, vel eſt modicum, ſignificat ægritudinem, & cum lac eſt multum ſignificat quòd mammillarum natura eſt temperata, & fortis in operationibus ſuis.

Ex prima expoſitione humorum.

G

Inclinatur aliquis medicorum, & putat ſanguinem ſuperabundare in corpore, & non ſuperabundat, & hoc accidit ex caliditate aeris, aut ira, aut febre, quemadmodum accidit in mari dilatato, & ipſum putat eſſe diminutum, & non diminutus eſt, & hoc accidit ex frigiditate ipſum ad interiora corporis impellente, ſicut mari accidit fluctuanti.

Ex expoſitione humorum.

Color albus, viridis, ſignificat hepar apoſthematum eſſe, & color viridis niger ſignificat ſplenem apoſthematum eſſe, & color albus phiſticus ſignificat apoſthematum pulmonem, & colores hi ſunt cum ipſa apoſthemata minimè ſunt accenſa.

Ex primo humorum.

Humorum crudorum modi duo ſunt, vnus ſubtilis, & aquoſus, & alius groſſus, & viſcoſus in membris collocatus: ſubtilem autem & aquoſum oportet te euacuare citò antequàm calefiat à calore febris, & pungens reddatur, & roſiuum, & groſſum, & viſcoſum antequàm fluat, digerere te oportet. H

Ex primo humorum.

Humores ad interius cum declinant oportet te attrahere exterius, & è conuerſo cum declinant ad poſterius oportet te attrahere interius, & è conuerſo cum declinant ad vnum laterum, ad aliud attrahere te oportet.

Ex primo humorum.

Cum ægritudo declinat ad pectus, & ſtomachum, conſtrictio manuum, & pedum humorem nociuum attrahit ad diuerſum. Et ſimiliter ſuperfluitas cum declinat ad caput, vel ventrem, ad diuerſum attrahunt medicinæ morditiuæ manibus & pedibus applicatæ.

Ex primo humorum.

Somnus eſt res nociua ei, qui habet humores frigidos multos, & ideò nocet in principio acceſſionis febris & ventri apoſthemato, quia calor interiora corporis ſubintrat, & ſubintrat cum eo ſanguis, & ei cuius humores ſint crudi paulum cum virtute debili, ſomnus confert.

Ex

A *Ex prima humorum.*

Ira & triſtitia ſunt ægritudines animæ, ſed in ira calor naturalis intenditur & dilatatur, & cholera generatur, & in triſtitia conſtringitur calor naturalis, & humores frigidi, & phlegmatici generantur, quare indigeo ad humores frigidos, & phlegmaticos calorem naturalem puſillum non ſolum motibus corporis, ſed motu animæ excitare, adijciendo motibus corporis, iram, vt calor naturalis dilatetur, & humores ad exterius currant.

Ex prima humorum.

Materiam fluentem ad oris ſummitatem, ad palatum, vel ad vtramque vuulam, ad nares attrahere procura per medicinas morditiuas appoſitas naribus, & ſimiliter procura attrahere ad os materiam fluentem ad oculos per gargariſmum cum medicinis morditiuis.

Ex prima humorum.

B Mucillaginem narium aquoſam, & indigeſtam prohibemus cum rebus quæ odoratu trahuntur, & cum rebus, quæ diſtillantur in aures.

Ex primo humorum.

Corizæ dominis omnibus in ſui principio ſternutatio nocet, quia tunc humores ſunt crudi, & indigeſti, & ſimiliter coitus, ex forti namque motu augmentatur repletio capitis, & tunc membra capitis, & pectoris indigent quiete & ocio, & caliditate temperata ad digeſtiui motum augmentatur repletio capitis, & tunc membra capitis, & pectoris indigent arte & ocio, & caliditate temperata ad digeſtionem humorum crudorum, & cum ſiſtit fluxus, reſoluuntur per ſternutationem ipſi humores iam digeſti, & euacuantur.

Ex primo humorum.

Coruſcationes, quas vidit aliquis oculis, ſunt ex humoribus quorum ſubſtantia, & color ſunt contraria humiditati albugineæ intra chriſtallinum, & corneam collectis.

C *Ex primo humorum.*

Dolores capitis alleuiantur per ſtrictionem capitis, cum humores qui faciunt dolores, indigent caliditate temperata.

Ex primo humorum.

Sternutationes ſunt vtiles humoribus aquoſis, & inutiles humoribus cholericis mouentes, & augentes eos.

Ex prima humorum.

Verbum eſt ſpecialis motus inſtrumentorum ſpiritus, & ideò non oportet illum à cuius meri ſanguinis exitu fit, vel pulmone, vel pectore, vel canna pulmonis clamare inſpirare, vel expirare fortiter: motus verò manuum non eſt inutilis, vtilior eſt tamen ei motus pedum motu temperato vt per motum ipſum ſpiritus conſtrictio nullatenus adducatur.

Ex prima humorum expoſitione.

Hydropiſis carnoſa cum adhæret, oportet te primo adhibere, quæ expellunt phlegma per ſeceſ-
D ſum, & poſtea quæ expellunt illud per vomitum, deinde per gargariſmum, quia gargariſmus purgat caput à phlegmate, & cum phlegma eſt diffuſum per totum corpus purgamus ipſum vniuerſali purgatione, & dantur in huiuſmodi ægritudine medicinæ inciſiuæ, & calefactiuæ ad purgationem corporis per reſolutiones cum vrinæ emiſſione.

Ex prima humorum expoſitione.

Oportet nos purgare corpora patientium icteritiam omni modo, quo poſſumus, adeòq; purgamus ea per ſuperius & inferius, & per palatum, vrinam & nares.

Ex primo humorum.

Apponatur ſicya in occipitio, vt attrahatur materia exiſtens ad partem poſteriorem, quæ ad oculos deſcendit, & phlebotometur vena frontis, vt attrahatur materia exiſtens in poſteriore parte cerebri ad partem anteriorem.

Ex prima humorum.

Facimus clyſtere cum aqua ſalis ei in cuius inteſtinis ſunt vulnera putrefacta, vt abluat quic-

quid eſt putrefactum, & extrahit cortices non paucos, & cum mundificatus eſt locus clyſterizamus cum medicinis adaptantibus purgationem. E

Ex prima humorum.

Chymus eſt humiditas, quæ reperitur in corpore animalis, & chylus eſt humiditas quæ reperitur in fructibus, cum comeduntur, vel conſtringuntur.

Ex expoſitione humorum.

Differentia inter ſudorem, & odorem eſt hæc, quia ſudor eſt humiditas ſubtilis ex humoribus generata, & odor eſt fumoſitas ab humoris ſubſtantia reſoluta.

Ex prima humorum.

Pruritus, tuſſis, ſingultus, ſternutatio, & ſimilia ceſſant cum homo ea tollerat, & abſtinet ſe ab his, & maximè ſi parua, & debilia ſunt illa.

Ex prima humorum.

F

Non oportet illum à cuius meri ſanguis exit, vel pulmone, vel pectore, vel canna pulmonis clamare, vel inſpirare, & expirat fortiter.

Ex ſecunda expoſitione humorum.

Cholera nigra eſt valdè mortifera cum apparet, aut in ſputo, vomitu, egeſtione, aut vrina, & poſt eam cholera citrina cum apparet pura, & cæteri humores ſunt minoris nocumenti cum apparent in aliquo iſtorum.

Ex ſecunda humorum.

Oportet te euacuare humores temporibus acceſſionum per ſuperius fluxu ſanguinis narium, ſed vomitu, vel ſimilibus: temporibus verò quietis per inferius vrinam, vel aſſellationem, vel ſimilibus illis.

Ex ſecunda humorum.

G

Cogitare alacria, & ea inſpicere dilatat animam, & iucundat, & dilatat naturalem calorem. Et ſimiliter cogitare triſtia & ea inſpicere animam & calorem naturalem coarctat.

Ex ſecunda humorum.

Prima pars diei ſimilis eſt veri, proxima æſtati, tempus veſpertinum autumno, & vltima hyemi, & ideò ægritudines autumnales acutæ & mortales, & hora veſpertina fortificantur magis, & exacuuntur acceſſionibus ſuis.

Ex ſecunda expoſitione humorum.

Adiuuatur ictericus coloribus citrinis, quia citrinitatem diſſoluunt, & is qui ſanguinis ſputum ſcreat, non adiuuatur demonſtratione colorum rubeorum, quia ſanguinem mittunt, & omnis humor purgatur demonſtratione colorum ſimilium colori ipſius, & ad interiora corporis impellitur demonſtratione contrariorum colori eius.

H

Ex ſecundo humorum.

Prohibe minutionem cum apoſtema eſt ex humore cholerico melancholico, vel phlegmatico, etiam aliter prohibe illam cum apoſtema lateris eſt ex ſanguine, & eſt tempus nimis calidum, & humor in corpore dominans eſt cholera, quia humor ſanguineus in choleram mutatur, quod comprehenditur quando patiens poſt ſputum ſanguinis, cholericum ſputum ſpuit.

Ex ſecundo humorum.

Oportet te timere cum propoſueris dare medicinam ſolubilem fortitudinem temporum acceſſus, aut dierum criſium, quia virtus medicinæ corrumpitur cum humores tendunt ad ſuperiora corporis, & ad contrariam partem eius, per quam debet euacuare.

Ex tertia particula libri de humoribus.

Generatur in corpore paulatim humor malus ſimilis veneno morſus, vel mortis, cuius modica eſt actio in corporis membra, & cum peruenit ad perfectionem malitiæ apparet ſubita

actio

A actio eius, & citò interficit, & quia actio in causis mortiferis est, earum qualitas non quantitas comprehendimus fore simile in ægritudinibus furentibus citò interficientibus petere interiora si suppressisset lethale paulum, vel à vipera morsus esset.

Ex tertia expositione humorum.

Humores generant qualitates, & qualitates generant humores, nam in quocunque dominatur colera iracundia generatur, & in quocunque iracundia dominans est, humores colerici generantur.

Ex tertia humorum.

Melior ventus est, qui defertur ex mari magno, & huic in bonitate proximus est qui ex montibus defertur, & peior qui ex latrinis, paludibus, vel locis madidis, est delatus, & medius inter hos est qui ab alijs locis defertur.

B *Ex tertia humorum.*

In cura vigiliarum stringe manus, & pedes ægri tempore quo dormire conuenit, & eum stimula, & fatiga, vt non dormiat, nec oculos claudat, sed eos semper apertos teneat, & demum ligatura strictionis soluta lucerna ablata, omni motu, loquutione, & strepitu prohibitis dimitte ægrum dormiturum somno profundo.

Ex secunda ventorum.

Terræ orientales sunt quæ sunt positæ in summitatibus montium, supra quos sol lucet die, item ciuitates orientales sunt, quas perflat ventus orientalis, & ipsarum pars occidentalis est cooperta, & orientalis discooperta, & terræ occidentales sunt contrariæ istis.

Ex expositione in tertio de humoribus.

C Corrodens dicitur vlcus, quod corrodit interius, & mesera dicitur vlcus, quod corrodit exterius, & mesera dicitur etiam lana humida, & non lana lutosa.

Ex expositione supra Timæum.

Dixit Galenus, quòd membrorum nostri corporis quodlibet cibatur sanguine, quem cibum conuertit in similitudinem corporis sui, etiam si nullo tempore inueniatur in eo sanguis, vt est os, cartilago, neruus, ligamentum, chorda, & pellicula, & membra ipsa conuertant sanguinem in sui naturam qualiter potest esse, vt corpus, nerui, quod est album, & ex speciebus pelliculæ generet sanguinem, & non cibetur, donec cibum in naturam suam mutat.

Ex expositione secunda in Timæum.

Humiditatis arborum duæ sunt species, vna quæ est per constrictionem, & alia est per fluxum fluentem. Prima est duobus modis, aut sicut accidit de vuis, granatis, citonijs, & his similibus cum causa stringuntur, aut sicut accidit ex frondibus cum feruntur, & comprimuntur, & has humiditatis
D species antiqui nominant chylos. & secunda est tribus modis, aut est subtilis sicut substantia aquæ, & dicitur lacryma, aut substantia lacrymæ sicut illa, quæ fluit à ramis ficus, cum funduntur, & nominatur lac, aut est grossior lacte, & nominatur gummi.

Ex secundo supra Timæum.

Antiqui nominant mutationem substantiæ materiam, speciem non sibi similem corruptionem, sicut est mutatio vini, quod mutatur, & redit acetum, & sicut est corruptio quæ accidit pluribus trabibus cum corrumpuntur, & redeunt sicut puluis, & cinis, & medici, & maior pars vulgi dicunt corruptionem rem permutatam, & corruptam in sui substantia cum fętore, & non accidit nisi substantijs, quæ inclinatæ sunt potius ad irrorandum, & humectandum.

Ex quarta expositione in librum Timæi.

Aliqui antiquorum inspicientes apoplexiam esse ægritudinem deiram dæmonum nominauerunt, & aliqui eam lunam, lunam autem dixerunt, quia in circulatione lunæ accidere consueuit, & Plato imposuit sibi morbo nomen dæmonij, quia capiti accidit, & manifestè vocet loco Dei, sed cerebro.

Ex

Ex quarta ſupra Timæum.

Vidi plures homines, corpus quorum fortè erat naturaliter, & anima debilis modici motus, & perditi, quibus ægritudines de genere ſtuporis accidere, Apoplexia, paralyſis, & epilepſia. Et mulieribus illis ſimilibus accidit matricis ſuffocatio, & poſtmodum accidit eis paralyſis citò. Et habentium animam fortem, & corpus debile naturaliter paucos vidi, è quibus Ariſtones fuit de genere muſiæ in eloquentia bonus, corpus cuius eliquatum eſt totum pro eloquentijs, in quibus ſæpe fuit. E

Ex ſeptima expoſitione in Timæum.

Inuenio in arte medicinæ quædam accidentia, quæ cum apparent in ſanis ſignificant ægritudines, & cum apparent in ægrotantibus, ſignificant ſanitatem, & ſunt ſomnus nimius, & profundus plus ſolito, qui cum accidit in ſanis ſignificat ægritudinem, & cum accidit in ægrotantibus ſanitatem, & nimius appetitus cibi cum accidit ſanis, eſt locus dubitationis, quia ſignificat ægritudinem, ægrotis verò eſt ſignum laudabile, & ſimiliter ſternutatio multa cum accidit ei de cuius ſanitate non dubitatur. ſignificat quòd capiti peſtis aliqua eſt futura, & cum accidit ei, qui eſt in malo ſtatu ægritudinis, ſignificat quòd ſtatus eius immutatur in melius. inuenio etiam in arte medicinæ multa habentia huiuſmodi naturam. F

Ex particula ſexta de ſomno, & vigilia.

Fortaſſis corpori exiſtenti in quiete, & ocio accidit febris ex hoc, & fortè ipſi corpori accidit ſimiliter deſiccatio ex debilitate membrorum non nutrientium ſe bono nutrimento, & cum membra non nutriuntur, deſiccatur corpus.

Ex ſexta particula de ſomno, & vigilia.

In exaltatione vocis neceſſe eſt aperiri os nimis, vt ingrediatur multus aer, & aperiri guttur, vt exeat vox ſonora, & ideò hi qui habent parua guttura, habent paruas voces, & debiles, quæ cum non habeant protenſionem, citò deficiunt. qui verò habent guttura longa habent voces magnas & fortes, ſed pueri, mulieres, & eunuchi habent voces debiles, & ſubtiles propter ſui gutturis ſtrictionem. G

Ex particula ſexta de ſomno, & vigilia.

Somnus quia ſemper humectat, vtilis eſt ægritudini, inclinationibus ſuis manifeſtè, & vtilis ſiccitati ventris: receptus enim aer per attractionem ſui caliditate ventrem ſiccat, & ſomnus humectat eum.

Ex particula ſexta de ſomno, & vigilia.

Vox fortis facit dolorem meatus, & conſumit humiditatem generatam in ſtomacho, & in ore incitat raſcationem, & extrahit phlegma malum, & viſcoſum, & calefacit corpus. Qui verò indigent calefactione corporis, nullam aliam habent medicinam, neque cibum meliorem, quàm exercitationem vocis, quare calefacit eorum corpora, incitat calorem naturalem, & calefacit corpora frigida, & deſiccat eorum membra humida, ſed habentia corpora ſicca, & gracilia non oportet exercitare vocem, & ſimiliter illos, qui habent in ſtomacho humiditatem malam, vel faſtidium oportet cauere à forti voce, quare facit decurrere malum humorem exiſtentem in ſtomacho in totum corpus. H

Ex particula ſexta de ſomno, & vigilia.

Non oportet te abſtinere à motu corporis ſicut abſtinent aliqui ſapientum, qui ſunt ſemper inclinati ſupra lectiones die noctuque, ſed oportet te mouere corpus, & membra omnia motu æquali, vt actionem ſuam membrum quodlibet operetur, quia membris omnibus intrinſecis, & extrinſecis iſtud confert.

Ex particula de ſomno, & vigilia.

Exercitia fortia deſiccant, & indurant corpora, & retardant illa ad ſenſum, & ad intellectum, & ideò Athletæ, & onera portantes, & lapides eleuantes ſunt aliquantulum mente capti.

Ex

A *Ex particula ſexta de ſignis mortis.*

Vetuſtarum infirmitatum quemadmodum ſunt aſma, calculus, hæmorrhoides, narium mala vlcera, & ſimilia accidentium pueris, & infantibus multotiens aliquæ ſanantur in quadraginta diebus, vel in ſeptem menſibus, vel in ſeptem annis, & aliquæ ſanantur pueris in productione pilorum in genitalibus, & puellis in tempore eruptionis menſtruorum.

Ex particula ſexta de ſignis mortis.

Puſtulæ cum apparent in lingua ſimiles granis pentadactyli nigri. ſignificant ægrum non viuere die ſecundo, & cum apparet in digitis manuum in quacunque febre apoſtema nigrum ſimile grano orobi cum nimio dolore ſignificat ægrum mori in quarto die.

Ex ſexta particula de ſignis mortis.

B Singulis ſignificat malum in eo, qui habet hepatis apoſtemata, & ſpaſmus in patiente vigilias ſimiliter, & tuſſis in hydropico ſuperueniens ſignificat mortem, & ſternutatio fortè ſuperueniens ſponte ei, qui ſingultum patitur ſignificat diſſolutionem ſingultus.

Ex particula ſexta de ſignis mortis.

Spaſmus accidens ex percuſſione, vel ex medicinæ ſolubilis potione ſignificat malum, & riſus accidens tetanum patienti mortem ſignificat ipſa hora.

Ex eodem loco.

Si quis patitur vlcus inteſtinorum, & accidit ei ſitis fortis, & apparent poſt aures eius puſtolæ nigræ ſimiles granis orobi moritur, & crura ad quæ chimus defluit, difficilè curantur.

Ex particula ſexta de clyſteribus.

C Cum repletur inteſtinum, quod dicitur colon, accidunt inde accidentia mala ſtomacho, ſcilicet dolor, & punctio, quare hoc inteſtinum cum repletur, extenditur, & accidit tunc dolor ſiphac, quod circundat ſtomachum, & inteſtinum, & ſtomachus, & infrigidatur, & ſimiliter extenditur lacertus, qui extenſus eſt ſupra ſtomachum, & inteſtinum, & ſtomachus infirmatur, & ſimiliter extenditur lacertus, qui extenſus eſt ſupra ſtomachum, & inteſtinum ad extenſionem inteſtini, & patitur ſtomachus ex hoc.

Ex particula ſexta de clyſteribus.

Conſtrictio egeſtionis egeſtionem adiuuat, quia auget, & fortificat ipſam contra naturam, & forte huiuſmodi eſt cauſa deſtructionis: generant enim febrem ſecundum ſpeciem ſui diuerſas, & apoſtemata manifeſta, & non manifeſta ſecundum ſui diuerſas ſpecies, & facit furere dolorem quemlibet ex groſſis humoribus ortum, & debilitat virtutes naturales, & corrumpit operationes animales inducendo grauem ſomnum, & mentis permixtionem.

D *Ex particula ſexta de clyſteribus.*

Græci cum in cura ægritudinis ſunt ſtupefacti permittunt naturam cum ægritudine præliare, dicentes quòd natura docta à ſe nouit complexiones membrorum, & vnicuiq; membro miniſtrat, quod ſibi ſimile eſt ex cibo, & cibus eſt cura, quæ ſufficit tempore ſanitatis, & ægritudinis.

Ex particula ſexta de clyſteribus.

Emplaſtra, & cataplaſmata, quæ antiqui inuenerunt ad curationem colicæ factæ ex phlegmate vitreo ab inteſtino colon contento, oportet te in patiente frequentare, quia cũ frequenter operaris, ipſam curas ægritudinem, & à malis accidentibus liberas patientem, & cum ea ſemel, vel bis tantummodo operaris, noces patienti nocumento magno, quia per illud ſui tenſio augmentatur.

Ex particula ſexta de clyſteribus.

Nos clyſterizamus cum oleo, & aqua tantum in febribus adurentibus accenſis, vt diſrumpamus ſui calorem adurentem, & accenſum.

Ex

Ex particula de clysteribus.

E

Cibi mali sunt sicut caules, & similes eis ex frigidis herbis, & siccis.

Ex particula quinta de motibus ineuitabilibus.

Fortasse alicui, qui iacet more supino tota nocte accidit ex superfluitatibus apoplexia.

Ex particula sexta de motibus ineuitabilibus.

Risus fit ad tactum partium, quæ sunt in subasellis, & quæ sunt in volis manuum, & pedum, & similiter fit ad visus rerum derisoriarum, & earum auditum, & ei non est aliquacunque causa nota.

Ex particula sexta de motibus ineuitabilibus.

F

In stupore accipio instrumentum oris stomachi, quod nominatur buchale, & pono in eo aliquos cibos molles, & liquidos, & posito ore ipsius summitati linguæ patientis ad inferiora depressæ effundo in meri cibos, quos dictum continet instrumentum.

Ex particula sexta de motibus ineuitabilibus.

Oculi eius qui nullo tempore vidit ophtalmiam, cum primo inspicit eam, humiditate replentur, & cum prolongatur in inspectione ipsius accidit eis ophtalmia. & similiter qui vidit aliquem mingere, egerere, os aperire, vel alas eleuare, & huiusmodi res, prouocat ipsum simile operari.

Ex particula sexta de examinatione medici.

Multos ægrotantium virtutis, & corporum fortium notorum modorum curaui longa prohibitione ciborum, & exhibitione medicinæ simul ab huiusmodi accidente, & aliquos modorum notorum virtutis debilis quibus syncopis accidit, curaui prohibitione ciborum, & fricatione multa G
manuum, & pedum, & fricatione etiam iuncturarum omnium spinæ, & restituta est virtus ægrotantium, & perfectè sunt liberati. & aliquibus ipsorum feci contrarium vetans eis ciborum abstinentiam, & porrigens eis cibos.

Ex particula sexta de examinatione medici.

Ex particula sexta de examinatione medici.

Non te faciat timere operationem chirurgi ægritudo magna, quia non debes putare magnam ægritudinem fortem, neque paruam debilem, sed debes attendere, & videre dubietatem ipsius fortitudinem, sed & debilitatem suam, quia sciſſura, in quam descendit siphac, quæ est iuxta stomachum, est ægritudo fortis, & non manifestatur sensui magna, & sciſſura ad quam descendunt intestina, ægritudo est debilis, & sensui manifestatur magna, & de alijs ægritudinibus *intelliges* idem.

Ex particula sexta examinationis medici.

Quidam medici famosi, quos noui, cum dederunt medicinas solubiles, & medicinæ ipsæ earum H
virtute non soluebant, stupefacti sunt, & nesciebant quid facere deberent, & cum vocatus fui, aliquem illorum, qui medicinas sumpserant mandaui balneare se intrà balneum, aliquem phlebotomaui, alicui vomitum prouocaui, & alicubi medicinas stypticas dedi, & cum hoc feci quòd ventres ipsorum statim soluti sunt.

Ex particula sexta de examinatione medici boni.

Non possum numerare quot ictericos liberaui per fluxum ventris tantum, & similiter quot leprosos, & patientes longas, & antiquas ægritudines liberaui tantummodo fluxu ipso.

Ex particula sexta de examinatione medici.

Galenus inquisiuit ægrum, cui crisis non accidit, quam ei promit, & inueniens domum ægroti frigidam, & calefaciens ipsius aerem igne, crisis patienti accidit per sudorem.

Ex particula sexta de examinatione medici.

A muliere quadam habente in vtero aliquam quantitatem menstrui primò exijt sanguis, deinde

A deinde ſanies ſubtilis,& putrida, & cum proceſſit in tempore conceptus paſſa eſt aborſum, & poſtea die quolibet exibat ab ea aliquid ſecundinæ, quæ erat intus putrefacta, & in fine cum exijt, quod remanſerat ex ſecundina,credìderũt obſtetrices,& omnes qui aderant ibi ex medicis prẹter me, quòd mulier mundificata eſſet mundificatione completa, cuius exquiſiui pulſum, & inſpexi per pulſum ipſum in matrice aliquid remanſiſſe, cuius exitus neceſſarius erat ad mundificationem corporis mulieris, quod manifeſtaui mulieri prædictæ, & marito ſuo, & cum ipſa ad diem decimumſextum à die aborſus peruenit paſſa eſt aborſum fœtus alterius putrefacti.

Ex particula ſexta de attenuatione Corporum pinguium.

Multitudo carnis, & pinguedinis eſt valdè nociua, facit corpus turpe, impedit operationes & retardat motus, & ideo oportet multitudinem carnis, & pinguedinis habentes ire frequenter per mare, & ambulare ſub ſole, & ſpecialiter eſſe ſub ſole in mari, quia aer marinus diſſoluit humiditates, & oportet ipſos cibari cibis modici nutrimenti, ſicut herbis habentibus excedentem caliditatem,vt ſunt cæpẹ,allia, piſces ſaliti, & cibari cibis confortantibus, & non humectantibus,
B quemadmodum ſunt carnes macilentæ, ac oportet ipſos à balneatione aquæ calidæ, excepta balneatione aquæ in balneo,præcaueri, & oportet ipſos ſitim ſufferre aliquantulum, & omni modo quo poſſint debent ſua corpora indurare.

Ex particula ſexta de colica.

Quidam antiquorum præceperunt, vt ſi quis pateretur colicam, acciperet lapillum ſalis, & eum ſupponeret ſibi, quia ſal citò extrahit egeſtionem,illud idem nitrum, cum ſupponitur,operatur.

Ex ſexta particula de colica.

Clyſtere factum ex duabus partibus picis liquidæ, & ex tribus partibus olei confert mirabiliter colicẹ paſſioni,ſtomacho exiſtente forti,cauendum eſt tamen ab huiuſmodi clyſteri, & ab omni clyſteri,in quo medicamina fortia ponuntur, ſtomacho debili exiſtente: habentem verò ſtomachum debilem clyſteriza cum medicinis lenitiuis:ipſæ enim cùm non adunent ſtomacho debi-
C litatem aliquam,nec mutant de ægritudine in ẹgritudinem patientem,& cum fit clyſtere ex fortibus medicinis magnitudine ſui fortè peruenit ad ſtomachum,& aſcendit in linguam.

Ex particula ſexta de odoratu.

Quibuſdam ſternutatio ſic indicatur, impera vt æger os ſuum aqua impleat, & caput ad poſterius, quantum poteſt, inclinet, & de medicina cuius eſt deſcriptio talis ſuſcipiat, ſume nigellum, & fere ipſum ad modum farinæ, & cum oleo veteri miſce, & ea ſimul percute, & in naſum inſtilla modicum ipſius, & vt aliquid medicinæ ipſius ad interiora attrahatur, præcipe vt aerem attrahat quantum poteſt.

Ex primo Antidotarij.

Aqua poſtquàm deſcendit in pupillam oculi, oportet ipſam retineri tempore longo cum inſtrumento ferreo actui ſimili in loco,in quo morari debet, vt collocetur cum ipſo.
D

Ex tertio Antidotarij.

Cùm placet tibi incidere, & æger eſt timidus, fingas te velle tangere, aut fricare loca vicina ægritudinis, & tunc incide locum ægroto exiſtente † conſcio huius rei.

†Inſcio videtur legendum.

Ex tertio Antidotarij.

Cùm vis ſolidare manum,aut pedem, fac inſtrumentum ſimile illi membro, intra quod membrum ipſum permaneat, & ſit inſtumentum prædictum prout ſanitatis tempore perſona incedere conſueuit, quia ex hominibus aliqui forma lata ſe quotidie calciant, & aliqui forma ſtricta.

Ex tertio Antidotarij.

In ruptura, & plaga oportet ægrum ligaturam ſentire in loco ægritudinis magis, & in extremitatibus ſuis minus, ſed ligatura per quam volumus membrum tenue impinguari, debet eſſe ſuprà membrum tenue molle, & ſuprà membra ſana dura, vt ſanguis poſſit ad membrum tenue penetrare.

Ex

Ex tertio antidotarij.

B

Fractura pedis indiget forma tali, vt ex motu ipsius membrum non allidatur, & oportet te attendere, quæ ex forma accidunt, & si nocumenta plurima sunt iuuamentis, non operari eam.

Ex tertio antidotarij.

Oportet nos in principio infasciare sub forma, & incipere à loco ægritudinis inferius, & tendere superius, quia per hæc retinemus cursum humorum in membrum præparatorum ad apostema, & postea facimus formam, & ligamus suprà eam ad hoc, vt non moueatur, incipientes à superiori loco ægritudinis, & protendentes inferius, vt sanguis putridus à membro exeat ægroto, & perueniat ad extremitatem sui, & post istam ligaturam secundam apponimus medicinas stringentes, ad sustinendum, quæ sunt retrò post eas, & regendum. & regentia, & retinentia membrum sunt quatuor fascia ligans membrum, forma, ligamina, & medicamina stringentia.

F

Ex tertio antidotarij.

Fac formam in loco membri subtilis, adeò vt adæquetur membro grosso, & liga ipsam formam ligaminibus retinentibus ipsam æqualem, & erectam, vt non permutetur, nec redeat ipsa ligatio mollis. & pecia cum qua membrum inuoluis, sit lata trium, vel quatuor digitorum.



G

FRAGMENTA GALENI
EX RASIS LIB. CONTIN. COLLECTA.

In capitulo commenti secundæ particulæ Epidemiarum.



Vlta vini potio nocet neruis, & cerebro, & coitus similiter nocet vtrisque forti nocumento.

H

Ex primo cap. libri secundi Epid.

Hydropicis requirendus est color, vt significationem habeas super radicem passionis, an de hepate fuerit, an de splene: sed si fuerit de hepate, color erit citrinus, & albus, si de splene, color erit citrinus, & niger.

Ex commentario secundi Epidem.

Quando conualescenti accidit subitò leuitas corporis, & febris cessatio sine euacuatione tempore morbi, absque aliqua corporis dissolutione, scias quòd morbus redibit. Vidi quosdam homines, qui credebant esse liberati ex morbis vsi balneis, & alijs eorum exercitijs, quos cognoui per mala alia signa, quæ patiebantur ex hac ægritudine, morituros, & parum steterunt, quòd recidiuerunt, & mortui sunt. & illi, in quibus morbi eorum non apparent signa mortalia, recidiuabunt solum, & non morientur.

Ex

Ex secundo cap. secundi libri Epid.

A Conuenerunt medici quasi faciendo constitutionem indissolubilem, quod non nominatur febricitans post diem quartum, tu fac minutionem, licet dies sit decimus imminente virtute pàtientibus robusta, ac opportunitate eius vrgente, tamen si sit ante quartum diem, erit vtilior.

Ex primo secundi Epid.

Rigor fortis vehementer accidit à phlegmate vehementer forti in frigiditate, quod vocatur vitreum, & ab humore melancholico, in rigore accidens à phlegmate vitreum est difficilis calefactio corporis. interpellatio febris accidens à phlegmate erit quolibet die.

Ex tractatu quarto secundi libri Epid.

Plures conquesti sunt pati defectum appetitus: quibus præcepi, vt spatio longo se abstinerent
B à cibarijs, qui per ipsam abstinentiam ciborum reuersi sunt ad appetitum.

Ex sexto cap. libri secundi Epid.

Cepę & allia sumpta in cibo tempore congruo, aliquando multum conferunt hydropicis, sed caseus magnum nocumentum infert eis, cum magis perfectè inferat opilationes, quàm aliud, sed opilationes epatis curantur per res aperientes eas. quando mors sequitur hydropicum venter eius magnificatur ac cutis mirach eius valde extenditur, & non minus os desiccatur, & in superficie cutis egrediuntur vlcera ex malitia humiditatum, quæ fiunt in ventre eius. Euitandum est balneum in hydropisi propriè in carnosa cum aqua dulci factum, sed stude ad fricandum ipsum cum rebus siccis, valet cum totalibus, & similibus faciendo ipsum ambulare in terra mobili.

Ex expositione libri quarti Epid. in primo cap.

Coitus dissoluit phlegmaticam materiam, & repletionem, & deponit eam, tamen lædit virtu-
C tem stomachi, & abstinentia coitus est melior res in conseruatione virtutis stomachi.

Manifestum est ex Hippocrate similiter quod ipse videbat, quòd augmentum medullæ in corpore auget in spermate.

Ex primo cap. libri septimi Epid.

In febre quotidiana de conditione rigoris, id quod diximus in capitulo suo, iuxta quod debuit: rigor frigidus, & vehementis frigoris fit in quartana, & quotidiana: tamen rigor tertianę mordens est absque frigore, & non stridٍent dentes, vt in quartana: sed in phlegmatica quotiens videris rigorem esse vehementem, & laboriosum, & inflammatur post eum febris vehementis caliditatis, & rigor fuerit prolixioris spatij, & tardæ ascensionis, febris erit quartana: & si rigor fuerit in ipsa dispositione: tamen ascensione valdè remota, & quando ascendit non valdè calefiet corpus: non excitabitur sitis, neque interiectio lamentabilis, neque caliditas vehemens febris erit quotidiana: quædam etiam febre mordent semper corpus: quædam non mordent in primo, deinde mordent, deinde deficit morsus: in quibusdam etiam febribus est bonus tactus semper: in quibusdam est
D caliditas sicca: in quibusdam est caliditas bona, & vaporosa: in quibusdam sentientur res similes ampullis ventosis, & cessabunt quandoque, & quandoque non: febres in quibus condominabitur corpori viriditas, significant super diminutionem sanguinis, & caliditatis innatæ, ideo sunt mortales.

De libro nutrimenti.

Vidi quandam mulierem paralyticam cuius venter constipatus erat per mensem vnum, & paralysis erat in parte media, cum venter sanorum non constipatur vltra quinque dies, sed emittitur de eis substantia sicca, & impossibile est, quòd venter constipetur per spatium longum, quòd non infletur, & magnificetur.

Ex libro de aere, & regionibus.

Quartana quando prolongatur, ducit ad hydropisim, erit autem hoc cum quartana accidit propter magnitudinem splenis, aut ipsa magnificabit splenem, & cum hoc prolongata est, verum febris quartana secundum se est salubrior ex salubribus, & leuior corpori: dat enim quietem maiorem, & aliquando quidem per eam accidit liberatio ab epilepsia, mala cogitatione, & similibus.

Ex

Ex ſecundo Timæi. E

Virtus furfuris eſt ſimilis mundificationi farinæ fabarum, & farinæ oroborum, tamen farina oroborum eſt fortior farina fabarum, & farina hordei.

Ex libro de venenis.

Qui biberit de ſanguine tauri, accidit ſtrictura anhelitus, & ſquinantia, & tumor linguæ, cura comedere ficus madefactas in aceto, aqua & nitro, aut comedat radices aſſæ madefactas in aceto, aut de ſemine canapis, & pipere ana, & informentur cum melle, aut de ſucco frondium rubi cum aceto: quia hoc laxat ventrem, & ponatur emplaſtrum ſupra pectus, ſtomachum, & gulam, & emplaſtrum ex farina hordei ſimiliter.

Ex libro de venenis.

Si quis comedat ramas, & bufos, ſiue boetos, corpus eius tumeſcit, & accidit ei color terreus, & F
inuoluntaria emiſſio ſpermatis, & fœtoris. Cura eius eſt prouocare vomitum frequenter cum aqua calida, & oleo, & multiplica in ipſo ambulationem, ſudorem, & balneum.

Ex aliquibus librorum ſuorum.

Debet ſemper medicus inquirere de mutatione aeris, & motu ventorum.

Ex medicamentis laxatiuis.

Dixit Galenus quòd ſanauerat cancrum, & vlcera mala per laxationem ſolam.

De clyſteribus.

Pars auium clyſterizant ſe cum aqua maris, vnde laxatur eius venter: quòd ſi volueris educere ſuperfluitatem groſſam de corpore, noli facere clyſteria lenia ſimplicia facta de aqua, & oleo, melle, & nitro, cum non condenſentur eis, & dant nocumentum cum quantitate ipſorum. G

De paſſione prægnantis.

Aeſtimauerunt quidam quòd obſtetrices inſpiciunt mulierem. Quia ſi viderint caput mammillæ eius eſſe extenſum, & mutatum, ex eo, quo fuerat, prægnans erit: & ſi venter mulieris fuerit rotundus, groſſus, repletus, & durus, & mulier fuerit ſinceri coloris erit maſculus. etiam ſi mulier erecta, & defeſſa eleuauerit pedem ſuum dextrum ad præcedendum cum eo in eundo, prægnatio erit cum maſculo: & è conuerſo. Expertus ſum pluries hoc, & firmum inueni experimentum. & non credo quòd fuerit accidentaliter.

Ex tractatu primo libri de cathatireon.

Medicus pluries cogitur ad incidendum aliquem teſticulum, quando putrefit, ad eijciendum eum.

De curandis morbis attributus Galeno.

Dandum eſt laboranti yleos de decoctione anethi facta cum oleo, & aqua donec liquefiat ane- H
thum bene colata, etiam ponendum eſt de pane in aqua calida ebullita, & dandum eſt de eo in cibo cum valdè conferat, & ſumendus eſt ipſe panis dum fuerit calidus.

De conſtitutione phyſicæ per experimentum.

Febris acuta cum malo anhelitu, tuſſi & ſputo colorato communis eſt peripneumoniæ, & pleuriſi, ſed ſi fuerit cum ea dolor pungens in latere, & pulſus ſpiſſus, & durus, pleureſis erit, ſed ſi dolor erit cum ponderoſitate ſolummodo, & pulſus non fuerit durus, ſed ſenſus fuerit quaſi ſtrangulatus, erit peripneumonia ſolummodo.

De expoſitione Ariſtotelis.

Patiens ſputum ſanguinis, ſi purgetur purgatione vehementi, morietur.

Ex libro de probatione medicorum.

Neminem inueni magiſtrorum meorum curantem dolorem oculorum cum vino puro multum potato, ſicut ego.

Ex

A *Ex libro vltimo oculorum, & in maiori Antidot.*

Quando accidit oculis mollis inflatio, facias calefieri eos ſæpius cum ſpongia madefacta in aceto, & aqua calida, deinde cum aqua calida ſola ſi dolet, & liga deſuper pannum ſubtile.

Ex decimo aphoriſmorum.

Extenſio eſt cum membrum ſtat erectum, & non declinat ad aliquam partem.

Ex libro de opinionibus.

Cum membrum corporis eſt calidius alijs, illud facilius recipit ſenſum, & motum, & illud quod eſt frigidius tardius recipit.

Ex libro decimo conſil.

Omnes Medici cum curant ſpaſmum amborum laterum, vel tremorem totius corporis, aut ia-
B ctitationem, aut laxitudinem totius corporis à facie infra: ponunt eorum intentionem, & curam circa poſteriorem capitis.



TYPOGRAPHVS LECTORI.

C *DVa ex Athenæo, & alijs fragmenta colligi curauimus, tametſi ipſa Galeni verba ex libris capta non ſint, attamen, quia eius ſententias, atque dogmata ſcitu digna continent, alijs quoque ſi iungerentur, rem omnibus, gratam atque vtilem nos eſſe facturos putauimus.*

EX ATHENAEO
PRIMO DIPNOSOPH.

D DE vinis Italicis apud hunc ſophiſtam ita loquitur Galenus. Vinum Falernum ab anno decimo, & decimoquinto vſque ad vigeſimum potui aptum eſt, quod verò huiuſcemodi tempus tranſierit, capiti laborem facit, ac neruos tentat. Sunt ipſius duo genera, alterum auſterum, alterum dulce: hoc autem tale euadit, quãdo vindemiæ tempore auſtri perflant, ſicuti ſi notis non ſpirãtibus vindemia fiat, & auſterum, & colore fuluum redditur. Albani quoq; vini duo habentur genera, vnum dulce, alterum acerbum, vtraq; poſt decimum quintum annum vigent. Surrentinũ poſt viginti annos potui aptum eſse incipit, cum enim pingue ſit atque debile, vix coquitur, inueteratumq; fere ſolum pro quotidiano vſu accommodatum eſt. Rheginum verò Surrẽtino pinguius cum ſit, poſt decimum quintum annum in vſu haberi poteſt. Sicut, & Priuernate tenuius Rhegino, minimèque caput tentans. Huic Phormianum ſimile eſt, at velocius ipſo viget, necnon pinguius eſt. Tripholinum tardius ad vigorem protingit, atque Surrentino craſſius eſt. Cæterum Setinum cum primis ſimilitudinem habet, vt potè Falerno leuius, nec mordax. Tyburtinum tenue eſt, facilè euaporat, atque à decimo anno ad vigorem peruenit, at inueteratum melius euadit. Labicanum ſuaue eſt, guſtu

pingue,medio quodam pacto inter Albanum,& Falernum : potatur post decimum annum. Gauranum paucum, idq; optimum, nec non validum,& crassum,atque Prænestino,& Tiburtino maiorem pinguedinem habet. Marsicum austerum valde, stomachoq; accommodatum est. Nascitur autem,& circa Cymam campaniq vocatũ Albanum leue,& quinto anno potui aptum. Asconitanum leue nec malum. Picentinum quod ad acerbitatem Albano simile est, at potens, & stomacho vtile. Veterum potu iucundum, & stomacho accommodatum est, habet verò hanc propriam conditionem, vt non videatur purum. Etenim alterius quodammodo mixtionem refert. Calenum leue est, atque Falerno magis stomachum iuuat. Cæcubum generosum, mordax, validum,inueteraſcit post annos multos. Fundanum validum,multi nutrimenti,caput & stomachum tentat, vnde in conuiuijs non multum de eo bibitur. Omnibus hisce leuius est Sabinum à septimo vsque ad decimum quintum annum potui aptum. Signinum verò vsque ad sex annos bonum, sed multo melius inueteratum. Numentanum citò in vigore consistit,& à quinto anno potatur, neque autem suaue admodum, neque tenue est. Spoletinum,& potu gratum,colore aureo est. Capuanum in multis cum Surrentino similitudinem gerit. Barbinum valde austerum, semperq; se ipso melius euadit. Gaucinum quoque generosum, & Falerno simile est. Venefranum leue, & stomacho confert. Quod autem Trebellicum Neapoli oritur viribus temperatum,stomacho vtile, atque ori gratum est. Erbulum à principio nigrum cum sit, haud multos post annos colorem album acquirit, at valde leue, atque delectabile est. Massilienſe bonum,ac paucum,crassum,corpulentum. Tarentinum, & quæcunque sub huiusmodi climate fiunt,omnia tenera,suauia,stomacho grata, non mordentia, neque valida. Mamertinum extra Italiam quidem nascitur, sed cum in Sicilia gignatur, inter Italica nominatur, suaue existit, leue atque validum.

EX LIBRO IIII.

GAlenus, cum iam panes manibus capturi essemus, Minimè, ait, cænabimus priusquam ex nobis audiueritis, quæ Asclepiadis successores de panibus bellarijs, & farinis perhibuerint. Diphilus Siphinius in libro de ijs,quæ ægrotantibus, & sanis exhibentur, panes, inquit, frumentacei multo magis quàm hordeacei nutriunt, melius digeruntur,ac ex toto meliores sunt,tum qui ex similagine, post quos aleuritæ, ideſt ex farina triticea facti sequuntur, deinde qui ex farina non secreta à furfuribus συγκομισὶ vocati fiunt. Hi enim plus nutrimenti præstare videntur. Phylistion verò Locrus panes ex similagine confectos ijs, qui ex chondro fiunt ad robur magis conferre tradit, post quos ex chondro confarctos statuit, tertium locum ex triticea farina confectis tribuit. Cæterum panes, qui ex polline fiunt, peiorem succum, atque minus nutrimenti habent, sapore iucundiore sunt,ac flatum gignunt, & facilè distribuuntur, atque si refrigerentur saturitatem citò pariunt, & difficilè digeruntur. Qui exactè inueterauerunt, & refrigerati sunt, minus nutriunt, aluum sistunt, ac prauum succum gignunt. Panis subcineritius grauis est, & ob coctura inæqualitatem difficulter digeritur. Furno autem, & camino coctus panis non facilè distribuitur. Qui verò peraſicula, aut in sartagine coquitur propter olei mixtionem facilius excernitur, sed propter nidorem stomacho aduersatur. Clibanitis facultatibus alios excellit, etenim boni succi est, stomacho confert, facilè coquitur,promptissimèq; distribuitur. neque enim aluum sistit, neque intendit. Andreas medicus quosdam ait in Syria panes ex moris fieri, quos qui edunt capillorum defluuio tentantur. Mnasitheus ait, panem maza facilius coqui, & factos ex tipha magis nutrire, nempe qui sine multo labore coquantur : Panem ex Zea, si copiosè edatur, grauem, coctuq; difficilem esse, propterea quod eo pane vescentes minimè sanos degere dicunt. Oportet autem nos scire, omnes cibos, qui igne non bene cocti, contritiq; fuerint, flatus, grauitates, tormina, atque capitis dolorem inducere.



EX LIBRO NEMESII

DE ANIMA, CAP. II.

B

GAlenus verò nihil quidem pronunciat, ſed teſtatur in libro de demonſtratione, ſe nihil de anima affirmaſse, attamen quæ dicit, declarant, eum magis probare animam eſse temperamentum, vt potè cum morum differentia temperamentum ſequatur. Quod ex Hippocratis dictis confirmare nititur. Verum ſi ita eſt, certè etiam mortalem eam opinatur, non tamen omnem, ſed eam tantum, quæ rationis eſt expers. nam de rationis participe addubitat his quidem verbis

✻ -verum corporis temperamentum non poſse eſse animam, hinc patet, omne corpus, & animatum, & inanimum ex quatuor elementis temperatum eſt. horum enim temperatio corpora efficit. Si igitur corporis temperamentum eſt anima, nihil erit inanimum, & concluditur ratio ſic. Si temperamentum corporis anima eſt, omne porrò corpus temperamentum habet, omne corpus animam habet. Si omne corpus animam habet, nullum eſt corpus inanimum, neque lapis igitur, neC que lignum, neque ferrum, neque aliud quippiam inanimum eſt. Si verò non vniuerſe omnem temperationem corporis dixerit eſse animam, ſed certam quandam, quærendum, qualis temperatio ſit, quæ animal efficiat, & in animæ loco numeretur. Qualecunque enim temperamentum dixerit, tale & in inanimis reperiemus. Cum enim nouem temperamenta ſint, vt ipſe in libris de temperamentis oſtendit, octo quidem incommoda, vnum commodum, eo quod commodum eſt dicit hominem eſse temperatum, non omnem tamen, ſed eum qui medio temperamento eſt. Reliquis incommodis temperamentis cætera animalia pro cuiuſque ſpecie alia magis, alia minus eſse concreta. Inueniuntur autem etiam in inanimis nouem hæc temperamenta, vt ipſe rurſus in ſimplicibus oſtendit. Præterea ſi anima temperamentum eſt, temperamenta autem ætatibus, temporibus, victuq; mutantur, efficitur mutari animam. Si mutatur anima, non eandem habemus animam, ſed pro temperamento aliquando leonis, aliquando ouis, aliquando alterius cuiuſdam animalis, quod abſurdum eſt. Deinde temperatio non aduerſatur cupiditatibus corporis, ſed adiuuat eas, ipſa enim quæ mouet, & incitat, anima autem aduerſatur, non eſt ergo anima temperatio. Præterea, ſi anima temperamentum eſt, temperamentum autem qualitas, qualitas rurſus, & aduenit, & recedit, ſic vt ſubiectum nihilo magis intereat: item anima quoque ſeD parabitur, ſic vt ſubiectum non intereat. Hoc autem verum non eſt. Non ergo temperamentum, aut qualitas anima. Non enim ſanè alterum contrariorum naturaliter adeſse animali dicent, vt calorem igni. Hic enim mutari non poteſt, at temperatio mutatur, immo hi ipſi ſunt, qui medendi ſcientia temperationes mutant. Omnes inſuper corporis qualitates ſenſu percipiuntur, anima verò non ſub ſenſum, ſed ſub intelligentiam cadit, non ergo corporis qualitas anima eſt. Præterea ſanguinis, & ſpiritus, adiuncta carne, neruis, cæteris, bona temperatio, robur eſt, caloris, frigoris, ſiccitatis, & humoris ſanitas: membrorum autem apta compoſitio, cum caloris ſuauitate, corporis pulchritudinem gignit. Quare ſi harmonia ſuauitatis, & roboris, & pulchritudinis anima eſt, neceſse eſt hominem, quoad viuit, neque ægrotum eſse, neque infirmum, neque deformem: contingit autem ſæpe non vnam tantum, ſed omnes pariter has tres bonas temperationes perire, & hominem tamen viuere. Accidit enim, vt idem ſimul, & turpis ſit, & infirmus, & ægrotus: non ergo corporis bona temperatio anima eſt. Sed, inquies, quomodo ergo naturales virtutes, vitiaque naturalia hominem inſequuntur? Id verò ex corporis temperamento fit. Vt enim naturaliter ex temperamento ſalubri ſunt, & inſalu-

bri corpore,ita alij naturaliter amara bile abundantes, ad iracundiam, alij ad timorem,alij ad venerem propensi sunt. Verum aliqui coercent,& superant. Dubium autem non est quin temperamentum coerceant: atque aliud est quod coercet, aliud quod coercetur, aliud ergo temperamentum,aliud anima. Cum enim corpus animæ sit instrumentum, si idoneè effectum fuerit,adiuuat animam, ipsumq; se commodè habet: sin non idoneè, impedit animam, ac tum satis negotij habet anima, dum cum ineptia sui instrumenti luctatur: ac nisi admodum sit sobria, etiam cum eo peruertitur: quomodo musicum lyræ peruersio in errorem inducit, nisi eam primum rectè composuerit. Quamobrem animæ adhibenda cura est, vt corpus accommodatum sibi instrumentum reddat, quod per rationem, & mores assequetur, vt in harmonia, ita hic alia laxans, alia intendens,quo ipsum sibi aptum efficiat, eoq; at commodo instrumento vtatur, nisi & ipsa cum eo peruersa fuerit, quando etiam hoc aliquando vsu venit. E

F

EX CAPITE XX.

HOc enim est quod in ægritudine morsum sentit, vt Galenus in tertio de demonstrat.ait ad hunc fere modum, His qui in ægritudine aliqua versantur, multum flauæ bilis defluit in ventrem, quod morsum ipsis præbet, neque prius ægri esse, aut morderi desinunt,quàm bilem euomuerint. Nam morsus ijs accidit, infra chartilaginem, quæ est in medio pectore, quod quia speciem ensis præbet ξιφοειδὲς nominatur. Cor autem multo superius locatum est. Nam septo transuerso venter inferior est,cor superius. Veteres tamen etiam os ventris,cor vsurpant, vt Hippocrates, & Thucidides, vbi pestilentiam, quæ Athenis erat,describit,sic dicens, Et cum in corde dolor firmaretur,inuertebat ipsum,& purgationes bilis quotquot à medicis nominatæ sunt inuadebant. Nam quod inuertitur, os ventris est, dum vomere cogitur,non ea pars viscerum,quæ cor est. G

EX THEMISTIO
IN PARAPHRASI QVARTI
DE NATVRALI AVSCVLT.

Chart. 43. in Aldino. H

OVòd igitur tempus sine motu non sit,perspicuum est. Sine motu autem non eo modo accipiendum est, quo Galenus censet, quòd motu agitari tempus intelligimus, sic enim putat Aristotelem dicere. Sed quòd motus intellectioni,temporis intelligentia consequitur. quid ergo frustra certat studens contradicere? Nam, & quæ immobilia sunt, inquit, moti intelligimus, vt mundi polos, & terræ centrum, & tamen hæc sine motu sunt. atqui & Aristotelem perspicuè dicentem audire opus erat. Nam vnà cum motu,& tempus sentimus. Plurimum autem interest, aut ideo motus aliquid tempus existimare, quòd ad motus intelligentiam consequatur, aut ideo quòd nos moti illud intelligimus. Verum hic in pluribus huiusmodi est.

A

Ex eodem in eadem Paraphraſi. Chart. 46. in Aldino.

GAleno autem aſſentiendum non eſt, qui tempus per ſe ipſum putat determinari. Cum enim plures prioris, ac poſterioris ſignificationes enumerauerit: cæteras negat definitioni accommodari, præter illam ſolum, quą tempus ſignificatur, vt tempus ſit motionis numerus ſecundum tempus.

Ex interprete Græco in libro de Inſomnijs. 144.

CAuſa autem propter quam hæc accidunt, hoc eſt, quod appareant, & non decipiamur, aut quod & appareant, & decipiamur. In vtriſque enim ſermo conuenit, quòd non ab eadem facultate, & mens, & phantaſia iudicat. Sed quando aſpectus quidem, aut phantaſia mouetur, & languet, mens autem ſana eſt, & ſanè de his multa, atque ea pulchra à Galeno dicta ſunt. in his enim Ariſtotelem ſequitur.

B

EX SIMPLICIO
IN QVARTVM DE NATVRALI
AVSCVLT. ARISTOTELIS. *Comm. 14.*

C

SEd ſtatuamus inquit Galenus, Nullum aliud confluere corpus, quando ex vaſe educta ſit aqua. Manet igitur, quod interpoſitum eſt ſuperficiei vaſis ſeparatum interuallum. atqui abſurda hæc poſitio eſt, quod enim in cõtrouerſia eſt, illud ſtatuit. Cum enim illud inquiramus, an poſſit ſeiunctum aliquod eſſe interuallum, ille cum non oſtendat eſſe, ſed ſibi ipſi confingat, ac comminiſcatur, ſtatuit ſeiunctum eſſe interuallum.

Ex eodem in quartum eiuſdem operis. Comm. 103.

EXhis, quæ hoc loco dicta ſunt, vir admirabilis Galenus in octauo ſuorum librorum de demonſtratione exiſtimat, Ariſtotelem dicere, idcircò tempus ſine motu non eſſe, quod nos illum motu agitati intelligamus. atque infert rationi abſurdum, quòd alioquin, & quæ omni
D motione carent cum motu eſſe neceſſe ſit, quando & ea non ſine motu noſtro ipſorum intelligimus. Non enim nos immobili intelligentia apprehendere. Sic autem diceret aliquis, quod & quæ omni ſpatio, atque dimenſione carent, ſpacium & dimenſionem habent, quanto cum dimenſione & nos intelligimus.

Ex eodem in eundem librum comment.

ET quoniam contra aliqua eorum, quæ hoc in loco dicta ſunt, inſtitit Galenus vir multæ eruditionis, dicent tempus per ſe ipſum patefieri. age & hanc eius afferamus obiectionem. Cum enim multas prioris, ac poſterioris ſignificationes enumerarit, cæteras definitioni negat accommodari, præter illam, qua ſecundum tempus ſignificatur: vt tempus ſit motionis numerus ſecundum tempus.

EX



EX AVERROE
LIBRO PRIORVM
ARISTOTELIS PRIMO. CAP. 8.

ET ex hoc planum quòd figura quarta, de qua meminit Galenus non eſt ſyllogiſmus, ſuper quem cadat naturaliter cogitatio, & hoc, quoniam ſi quæramus an C, ſit in A & dicamus C. eſt in A quoniam B. eſt in A, & C. in B. ſumus inter duo, aut vt admittamus quod ſequitur ex iſta compoſitione, & reijciamus, hoc quæſitum penitus, quod eſt C. eſſe in A, ſed hoc eſt diuerſum ab eo, quod quærebamus, aut vt ſimul cum eo, quod ex hac compoſitione deducitur remaneat etiam quæſitum ſecundum cogitationem noſtrã, quemadmodum de eo quæſtionem feceramus, ideſt vt ſubiectum in eo ſit ſubiectum & prædicatum, prædicatum, & hoc quoniam in omni ſubiecto vno ſubiectum eſt ſubiectum ſecundum naturam prædicatum, prædicatum ſecundum naturam, & cum remanet apud nos ſubiectum, quæſiti ſubiectum, & prædicatum prædicatum, & hoc eſt ſecundum cogitationem noſtram in hac diſpoſitione, qua ſemper quæſitum maneat quæſitum, adducitur deinceps terminus medius, qui prædicetur de prædicato quæſiti, & ſubijciatur ſubiecto quæſiti, ſecundum quod exiſtimauit Gal. hanc figuram quartam eſſe ſecundum quod refertur ad quæſitum, ſi verò non erit hic figura quarta, ſed potius prima figura, vel de quæſito, vel de conuerſis ipſius, Verum ponamus, vt hic ſit figura quarta nimirum formabitur in hunc modum, ideſt in relatione ad quæſitum determinatum, vt ſubiectum in eo ſubiectum ſit ſecundum naturam, & prædicatum prædicatum ſecundum naturam, quoniam non formabitur figura quarta niſi ſecundum modos iſtos, ſi igitur quæramus inuentionem alicuius in aliquo, & accipiamus terminum medium, prædicemuſq; eum ſemel de prædicato quæſiti, & ſemel de ipſo prædicemus ſubiectum quæſiti, ſequitur ex hoc vt aliquid vnum per ſe ſit tanquam de ſeipſo prædicatum, quoniam ex parte, quam prædicat de prædicato quæſiti, & ſubijcitur ſubiecto eiuſdem, prædicatur quodammodo de ipſo, quod eſt abſurdiſſimum, & iſta eſt cauſa ob quam non componit ipſum cogitatio ſecundum naturam ſuper quæſito determinato, ita vt ſit hic ſyllogiſmus concludens quæſitum determinatum per duas conuerſiones, ſecundum quod exiſtimauit Galenus de figura quarta.

Ex eodem Auerroe liber Priorum Ariſtot. 1. Cap. 23.

QVod ſi exponatur ſecundum participationem, concludet aliud à quæſito, puta conuerſum ſuum, & hoc ſecundum modum, qui numeratur complicatio figuræ quartæ, quam poſuit Galenus.

Ex eodem libro Phyſicorum Ariſt. 4. Comment. 97.

NOn ſicut exiſtimauit Gal. Galenus enim credidit, quod Ariſtoteles intendebat, quod nos non comprehendimus tempus niſi cum mouemur, id eſt quando per imaginationem comprehendimus motum, & quod hoc eſt ſignum quod tempus non eſt extra motum, & cum Galenus, exiſtimauerit hoc, contradixit Ariſtot. & dixit quod multoties comprehendimus res quieſcentes, & mouemur, cum omnis imaginatio ſit motus, vt quando comprehendimus polos mundi & centrum.

Ex eodem, lib. Phyſicorum Ariſtot. 7. Tex. 1.

ET quidam dicunt, quod iſta demonſtratio, quam induxit in hoc tractatu non eſt vera, adeò quod Galenus fecit in hoc tractatum, in quo nititur declarare corruptionem iſtius demonſtrationis.

Ex eodem lib. Phyſicorum Ariſtot. 7. Tex. 4.

ET quia Galenus opinatus eſt, quod in talibus motoribus ſequitur, vt quieſcant inſimul, & cor

A & cor vt dixit cum extrahitur ab animali fortaſſe mouetur per duos paſſus dixit, quod cor non eſt primum principium mouens animal in loco, & quia animal non mouetur poſtquam caput abſcinditur, dixit, quod principium motus eſt caput, ego autem vidi arietem poſtquàm caput fuit abſciſſum, ambulare huc & illuc multoties.

Ex eodem Diſput. 3.

ET etiam quia nemo dubitat quod in corporibus animalium ſunt potentiæ naturales facientes cibum eſſe partem nutriti: demum regit potentia corpus viuum regimine tali, quæ ſi imaginata fuerit auferri moritur animal, vt dixit Galenus, & ex hoc regimine appellamus id viuens, & ex priuatione huius potentiæ appellatur mortuum. Deinde dixit quod appellare inanimatum agens eſt locutio abuſiua, vt appellatur requirens volens.

Ex eodem Diſput. 3.

IN eo autem quod eſt ſub corporibus cœleſtibus ex rebus generabilibus adinuicem animatis neceſſe eſt, vt ponant præter animal aliud principium, & eſt tribuens animam, & influens formam & ſcientiam, quæ videtur in entibus, & eſt id quod appellat Galenus virtutem informatiuam: & aliqui horum poſuerunt hanc virtutem principium abſtractum, & aliqui poſuerunt eam
B intellectum, & aliqui animam, & aliqui corpus cœleſte, & aliqui primum: & appellauit Galenus hanc virtutem creatorem, & fuit ei dubium vtrum ſit Deus, aut aliud, & hoc totum eſt in animalibus, & plantis habentibus ſemina, ſed in alijs ex plantis, & animalibus non proijcientibus ſemina manifeſtum eſt eis indigere hoc principio multo magis, & hoc eſt id, ad quod peruenit ſpeculatio eorum de entibus, quæ ſunt ſub cælo.

Ex eodem lib. de Anima Ariſtot. 3. Tex. 6.

ET quidam dubitabit in hoc quod fuit dictum ſcilicet, quòd intellectus non habet inſtrumentum ex hoc quod dicitur, quod virtus imaginatiua eſt in anteriori cerebri, & cogitatiua in medio, & rememoratiua in poſteriori, & hoc non tantum dictum eſt à medicis, ſed dictum eſt in ſenſu & ſenſato, Galenus autem, & alij medici ratiocinantur ſuper hoc, quòd iſtæ virtutes ſunt in iſtis locis per locum concomitantiæ, & eſt locus faciens exiſtimare non verus, ſed declaratum eſt in libro de ſenſu, & ſenſato, quod talis eſt ordo iſtarum virtutum in cerebro per demonſtrationem dantem eſſe: & cauſam, ſed iſtud non contradicit illi quod dictum eſt hic: virtus enim cogitatiua apud Ariſt. eſt virtus diſtinctiua indiuidualis, ſcilicet quod non diſtinguit, niſi indiuidualiter non vniuerſaliter, declaratum eſt enim illic, quod virtus cogitatiua non eſt, niſi virtus quæ
C diſtinguit intentionem rei ſenſibilis à ſuo idolo imaginato, & iſta virtus eſt illa, cuius proportio ad has duas intentiones ſcilicet ad idolum rei, & ad intentionem ſui idoli eſt ſicut proportio ſenſus communis ad intentiones quinque ſenſuum. virtus enim cogitatiua eſt de genere virtutum exiſtentium in corpore, & hoc apertè dixit Ariſtot. in illo libro, cum poſuit virtutes indiuiduales diſtinctas in quatuor ordinibus. in primo poſuit ſenſum communem, deinde virtutem imaginatiuam, deinde cogitatiuam, & poſtea rememoratiuam, & poſuit rememoratiuam magis ſpiritualem deinde cogitatiuam, deinde imaginatiuam, & poſtea ſenſibilium, licet igitur homo propriè habet virtutem cogitatiuam, tamen hoc non facit hanc virtutem eſſe rationabilem diſtinctiuam, illa enim diſtinguit intentiones vniuerſales non indiuiduales, & hoc fuit apertè dictum ab Ariſtote. in illo libro. virtus igitur diſtinctiua rationalis ſi eſſet virtus in corpore, contingeret vt eſſet vna iſtarum virtutum quatuor, quapropter haberet inſtrumentum corporale, aut eſſet alia virtus indiuidualis diſtincta ab iſtis quatuor, ſed iam declaratum eſt illic hoc eſſe impoſſibile. Et quia Galenus exiſtimauit, quod virtus cogitatiua eſt rationalis materialis, fecit ipſum errare in hoc locus conſequentis. quia enim virtus rationalis appropriatur homini, & cogitatiua appropriatur ei exiſtimatur propter conuerſionem affirmatiuè vniuerſalis quod cogitatiua eſt ra-
D tionalis, & vnus eorum qui errauerunt in hoc Alberfarag Babylonienſis in ſuo Commento in lib. de Senſu, & Senſato.

Ex eodem lib. Ariſt. 1. De Cælo. Tex. 22.

IN eis d. Albumaſar quod fides eſt propinquiſſima veritati certæ, & cum Galenus exiſtimauit, quod nullus poteſt ſcire mundum eſſe æternum, niſi per has propoſitiones quarum origo eſt à ſenſu, & teſtimonia vetuſtatis, dicit in ſuo libro, quem compoſuit in eis quæ credit, quod nullum certum habeat de mundo, vtrum eſſet nouus, aut antiquus. & manifeſtum eſt, quod ipſe non vtitur in antiquitate mundi, niſi talibus propoſitionibus ex verbis ſuis, & in libro ſuo, quem appellauit demonſtrationem.

Ex eodem lib. De Senſu & Senſato.

GAlenus autem intantum applicabatur errori, quod exiſtimauit aerem eſſe ſentientem.

FINIS.

G4680 2

ATENEO VENETO
VENEZIA

Adi ii detto in Venetia
Congrats. di Ligari et Sendi N 6½. fà lire N 66/g.—
et di Ligari —— di 17/10 ——